BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED — HUNGARIA

SAEC. XII—XIII.

P. MAGISTER

QVONDAM BELE REGIS HVNGARIE NOTARIVS

GESTA HVNGARORVM

EDIDIT

LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXII.

HUNGARIA: KIRÁLYI MAGYAR EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST
ITALIA: MESSAGGERIE ITALIANE, BONONIA
GERMANIA (ITEM CETERAE OMNES CIVITATES EUROPAEAE ET TRANSMARINAE):
B. G. TEUBNER, LIPSIA

Dicit magister incipit prologus in gesta hungarorum.

Ac quondam bone memorie gloriosissimi bele regis hungarie notarius H. suo dilectissimo amico uiro uenerabili. et arte litteralis scientie imbuto. salutem et sue petitionis affectum. Dum olim in scolari studio simul essemus. et in historia tuana cum ego cum summo amore compleuis ex libris dareti dyti frigii ceterorumque auctorum sicut a magistris meis audiueram. in unum uolumen quod solo compilauerat. pari uoluntate legeremus. petisti a me ut sicut historiam troianam bellaque grecorum scripseram. ita et genealogiam regum hungarie et nobilium siquidem qualiter septem principales personeque hetumoger uocantur de tertia scythica descenderunt. uel qualis sit tria scythica. et qualiter sit generatus dux almus. aut quare uocatur almus primus dux hungarie. A quo reges hungarorum originem duxerunt. uel qui et regna et reges sibi subiugauerunt. aut quare populus de tria scythica egressus. per idioma alienigenarum hungarii et in sua lingua propria mogeri uocantur. et scriberem. Punisti enim me facturum. si alius negotius impedimentum e personis et mee pensionis ita pene eam obliuisci. nisi in propitiatus tua dilecto debitum reddere monuisset. cogenor igitur tue dilectionis quamuis multis et diuersis huius laboriosi seculi impedimentis negotiis. facere tamen agressus sum que facere uisus sum. et secundum traditiones diuersorum historiographorum diuine gratie fuit auxilio optimum estimans ut ne posteris in ultimam generationem oblitionem tradatur. Optimum igitur duxi uiuere et simpliciter scriberem. quod legentes possint agnoscere quorum res geste essent. Et si tam nobilissima gens hungarie primordia sue generationis. et sortia quoque facta sua. ex talis fabulis rusticorum uel a garrulo cantu loculatorum quasi somniando audiret. ualde in decorum et satis indecens esset. Ego post amo de certa scripturarum explanatione. et aperta historiarum interpretatione rerum ueritatem nobiliter capiat. Felix igitur hungaria. cui sic dona data uaria. Omnium enim horis gaudeat de munere sui litteratoris. Ita exordium genealogie re-

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

REDIGIT LADISLAUS JUHÁSZ, SZEGED — HUNGARIA

SAEC. XII—XIII.

P. MAGISTER

QVONDAM BELE REGIS HVNGARIE NOTARIVS

GESTA HVNGARORVM

EDIDIT
LADISLAUS JUHÁSZ

MCMXXXII.

HUNGARIA: KIRÁLYI MAGYAR EGYETEMI NYOMDA, BUDAPEST
ITALIA: MESSAGGERIE ITALIANE, BONONIA
GERMANIA (ITEM CETERAE OMNES CIVITATES EUROPAEAE ET TRANSMARINAE): B. G. TEUBNER, LIPSIA

Jg. kut
114 936

EXCUDEBANTUR IN TYPOGRAPHIA PROMETHEUS NOMINATA, SZEGEDINI

PRAEFATIO.

In nova editione opusculi P. magistri (vulgo Anonymi) pauca sunt, quae mihi praemittenda esse videantur.

Scripturam codicis accepimus; solos eos locos esse sanandos voluimus, quae menda a librario facta essent putata. Qua de causa lectiones codice aberrantes infra textum colligi aptissimum nobis esse visum est; commentarii et variantes lectiones editionum — erratis typographorum et scriptura exceptis — in Annotationibus Criticis congestae sunt. Interpunctio codicis plerumque accommodata est.

In tituli pagina saecula XII—XIII. exposuimus significando tempus scriptoris plane ignorari. Sententias operis P. magistri numeravimus. Indices verborum et nominum hoc opusculum accuratissime studentibus adiumento esse voluimus. Testimonia (fontes) — aptis editionibus non existentibus — praeberi a nobis magnopere dolentibus nequiverunt.

Dabam Vindobonae in Collegio Hungarico, die resurrectionis Iesu Christi, anno MCMXXXI.

L. J.

INTRODUCTIO.

I. *De P. magistro et opere eius.*[1]

P. magister[2] — praenomen igitur eius P. littera incipit — quondam Belae regis Hungariae notarius scripsit haec Gesta Hungarorum. Quia autem a saeculo XI. usque ad saeculum XIII. quattuor reges nomine Bela in Hungaria regnabant, cuius Belae fuerit notarius, certo nescimus; utrum II. (1131—41.), an III. (1173—96.) Belae fuerit, dubitatur.

De P. magistro itaque, qui natione Hungarus erat, tantum scimus, quantum ipse memorat se olim in scholari studio (ut ex pluribus documentis affirmari potest, Parisiis) una

---

[1] De P. magistro et opere eius permulti libri conscribebantur, nos autem ex his sola haec duo opera memoramus, in quibus indicia comprehensa et maximam partem, quantum fieri potuit, illustrata sunt: V. Hóman: A Szent László-kori Gesta Ungarorum és XII.—XIII. századi leszármazói. Budapest, 1925., pag. 44—49. et alibi; Ae. Jakubovich: P. mester. (Adalékok az Anonymus-kérdéshez.) Emlékkönyv Dr. gróf Klebelsberg Kuno negyedszázados kulturpolitikai működésének emlékére születésének ötvenedik évfordulóján. Budapest, 1925., pag. 169—213. — Bibliographiam profusissimam praebet: I. Sebestyén: Ki volt Anonymus? Budapest, 1898., I., pag. XXI—XLVI.

[2] P. dictus magister primo fataliter Praedictus lectus est (credebant librarium in fol. 1*r* deraso nomen scriptoris inscripturum fuisse), ideo nominabatur Anonymus (primum a Daniele Nessel [1697.]). Qui P. dictum magistrum affirmabant, memorandi sunt: A. F. Kollar (1766.), St. L. Endlicher (1827., 1849.), M. Florianus (1883.), L. Erdélyi (1906.), Ae. Jakubovich (1925.). — »Dictus« significatio modestiae et humilitatis. — Ae. Jakubovich Petrum praepositum Budensem suspicatur Belae II. notarium fuisse.

cum quodam viro venerabili N.,[3] cui postea hoc opus dedicavit, fuisse et ibidem iam historiam Troianam post Daretem Phrygium ceterosque scriptores composuisse.

Opus eius Gesta (sive Historia) est, quod historiae scribendae genus medio aevo praecipue apud Francos et Italos colebatur.[4] Fundamento doctus scriptor Gesta Ungarorum[5] Ladislao I. (cognomine sancto) rege (1077—95.) in Hungaria composita et Stephano II. rege (1116—31.) continuata, uti creditur, accepit. In opere componendo alios quoque fontes[6] adhibuit, sed, etsi falsas fabulas rusticorum et garrulum cantum ioculatorum se neglexisse dicit et scriptis documentis usum esse affirmat, ex traditione gentis Hungarae potissimum hausit, ut materiam elegisse permultum ex sese addens multis etymologiis eam demonstrando et indicia historica (generationes, possessiones) suo tempore existentia, cum paene totam Hungariam bene cognovisset, afferendo et vitam moresque suae aetatis iis temporibus applicando aptandoque. Copiose conscripsit, quomodo Hungari patriam suam (circiter intra annos 895—905.) occupare potuissent facta eorum usque ad tempora Toesun ducis (947—72.) componendo. Et fortasse usque ad suum tempus scripsit opus, vel tantum voluit, aliquotiens enim dicit se de rebus saeculi XI. posterius esse scripturum. Nunc iam demonstrari nequit, utrum librarius codicem, quem describere voluisset, totum descripserit, necne. Codex utique imperfectus esse videtur.[7]

Opus P. magistri nullum effectum exercuit; nemo est, qui opusculo eius pro fonte usus sit. Codex unicus solum saeculo XVII. notus factus est.

---

[3] Natione Hungarum non fuisse coniecturam certo facere possumus.

[4] V. profusius V. Hóman, o. c. pag. 98—102. — In Germania monachi chronica scribebant.

[5] Quae Gesta Ungarorum deperdita sunt; quae fuerint, coniecturam facere possumus ex Gestis Hungarorum Simonis de Keza (epitome) et Chronicis Hungarorum, quae sunt continuata operis Simonis de Keza (Codices Sambuci, Vaticanus, Acephalus, Chronicon Pictum Vindobonense, Incunabulum Andreae Hess [1473.]). — V. profusius V. Hóman o. c.

[6] Daretem Phrygium, Gesta Alexandri, Exordia Scithica. — Chronico Reginonis et continuatione eiusdem e Gestis Ungarorum utebatur. (V. profusius V. Hóman o. c. pag. 44—45.)

[7] In fine codicis (24*r*) Finis et alia similia desunt.

II. *De codice.*

C — Cod. Vind. Lat. 514., fin. saec. XIII. v. init. XIV., membran., 16.5 x 23.5 cm., fol. lineata[8] 24[9]. — Unumquodque folium 34 versus, nonnunquam 33 et 35 habet. Descriptio non scriptoris, sed librarii esse pro certo habetur. Codicem eadem manus descripsit et, postquam ad finem perduxit, posterius perlegendo totum correxit atramento fusco, quod ab initio fulvum fuerat, sed posterius paulatim magis ac magis fuscum factum est. Codex multis in locis radendo correctus, multorum mendorum plenus est. Paene totum fol. 1*r* derasum est, quod prius textum fol. 1*v* continuit. — Codex quodam opere Gaspari Pansae[10] una compactus a. 1665. in libris Bibliothecae Caesareae (nunc Nationalis) ex arce Tirolis nominatim Ambras delatus inscriptus est. Folia et capita tunc Sebastianus Tengnagel numeravit et titulo inscripsit: Historia Hungarica de VII primis Ducibus Hungariae, Auctore Belae Regis Notario. Mentio prima de codice a Petro Lambecio anno 1666. fit.

III. *Editiones.*

$s = s_1$ I. G. Schwandtner, Scriptores Rerum Hungaricarum veteres ac genuini... Vol. I. Vindobonae, 1746. 2-o. — s_2 Calendarium Tyrnaviense ad annum Jesu Christi MDCCLXV. Tyrnaviae. 8-o. (Prologus et 1—45. capita.) Idem ad annum... MDCCLXVI., ibidem. (46—57. capita.) Editio secundum s_1 nonnullis locis mutatis edita. — s_3 I. G. Schwandtner, Scriptores Rerum Hungaricarum veteres ac genuini... Vol. I. Tyrnaviae, 1765. 8-o. Editio secundum s_2 edita (nonnullis locis mutatis). — s_4 Idem. Vol. I. Vindobonae, 1766. 4-o.

$c = c_1$ Eadem editio mutata tituli pagina ter in publicum prodiit. 1. Anonymi Belae regis notarii Historia Hungarica de septem primis ducibus Hungariae... Cassoviae, 1747. 16-o. (Sine dedicatione.) 2. Idem, ibidem, eodem anno. (Cum dedi-

---

[8] Lineae quo facilius duci possent, folia perforata sunt. (V. a sinistra reproductionem folii 1*v*.)

[9] In reproductione nostra fol. 1*v* genuina magnitudine est. In codice littera P viridi, circa litteram P flores et folia delineata et titulus Incipit prologus in gesta hungarum et litterae maiores (N vers. 3., D v. 5., P v. 18., M v. 20., O v. 25., E v. 27., E v. 30., F v. 32., O v. 33., Q v. 34.) paulum variatae colore rubro pictae sunt. — Codex a vermiculis erosus nonnullis locis est. (V. in reprod. fol. 1*v* exempli gr. vers. 26.)

[10] Iter ex Germaniae finibus in Galliam susceptum, quod tunc opere P. magistri separatum est.

catione ad Stephanum Ternyey; pagina tituli alia est.) 3. Idem, Claudiopoli, eodem anno. (Cum dedicatione ad neo-doctores; pagina tituli alia est.) — c_2 Idem, ac c_1., 1772. 8-o. — Editio c_1 secundum s_1 collato codice edita est.

$e = e_1$ St. L. Endlicher, Anonymi Belae regis notarii de Gestis Hungarorum liber. Viennae, 1827. 16-o. Endlicher secundum s codice collato edidit. — e_2 Rerum Hungaricarum Monumenta Arpadiana, Sangalli, 1849. 8-o. — Quae duae editiones parum inter se differunt.

m — M. Florianus (rectius: Florianus Mátyás), Historiae Hungaricae Fontes Domestici. Vol. II. Editio secundum e codice collato edita.

$f = f_1$ L. Fejérpataky, Béla király névtelen jegyzőjének könyve a magyarok viselt dolgairól. Budapest, 1892. 8-o. — f_2 Idem, A magyar honfoglalás kútfői. (Redegerunt I. Pauler et A. Szilágyi.) Budapest, 1900. 4-o. — Editiones inter se parum differentes.

[H. Marczali, Anonymi Belae regis notarii Gesta Hungarorum. Budapestini, 1892. — Editio excusa est, sed in lucem non prodiit.]

Reproductionem totius codicis edidit L. Fejérpataky, Béla király névtelen jegyzőjének könyve a magyarok viselt dolgairól. Budapest, 1892. 8-o.

TITULI CAPITUM.

Pr. *Incipit prologus in gesta Hungarorum.*
1. *De Scithia.*
2. *Quare Hungari dicitur.*
3. *De Almo primo duce.*
4. *De duce Almo.*
5. *De electione Almi ducis.*
6. *De iuramento eorum.*
7. *De egressu eorum.*
8. *De Rutenia.*
9. *De pace inter ducem et Ruthenos.*
10. *De VII ducibus Cumanorum.*
11. *De ciuitatibus Lodomer et Galicia.*
12. *Quomodo Pannoniam intrauerunt.*
13. *De Hung castro.*
14. *De Arpad duce.*
15. *De Camaro castro.*
16. *De monte Turzol.*
17. *De Zerensze.*
18. *De Borsod.*
19. *De duce Bycoriensy.*
20. *Qualiter contra Byhor missum est.*
21. *De Zobolsu.*
22. *De Nyr.*
23. *De uictoria Thosu Zobolsu et Tuhutum.*
24. *De terra ultrasiluana.*
25. *De prudentia Tuhuti.*
26. *Quomodo contra Gelu itum est.*
27. *De morte Gelu.*
28. *De duce Menumorout.*
29. *De reditu eorum.*
30. *De duce Salano.*
31. *De egressu Zeremsu.*
32. *De castro Vrsuur et fluuio Egur.*
33. *De castro Nougrad et Nitra.*
34. *De fluuio Gron et castro Borsu.*
35. *De Nitria ciuitate.*
36. *De speculatoribus missis a ducibus.*
37. *De pugna ducum Arpadii.*
38. *De exercitu Grecorum et Bulgarorum.*
39. *De egressu Salani ducis contra Arpadium ducem.*
40. *De uictoria Arpad ducis.*
41. *De egressu Arpad.*
42. *De nuntiis ducis Bulgarie.*
43. *De castris Zabrag Posaga et Vlcou.*
44. *De insula Danubii.*
45. *De ciuibus Bulgarorum et Macedonum.*
46. *De portu Moger.*
47. *De terra Pannonie.*
48. *De ciuitate Bezprem.*
49. *De castro ferreo.*
50. *De deuastatione Pannonie.*
51. *De duce Menumorout.*
52. *De Vsubuu Veluc.*
53. *De suscessione Zulte ducis.*
54. *De deuastatione Lotorigie Alemannie et Francie.*
55. *De morte Lelu et Bulsuu.*
56. *De inimicis Athonis regis.*
57. *De constitucione regni.*

Pr. *Incipit prologus in gesta Hungarorum.* 1

P. dictus magister ac quondam bone memorie gloriosissimi Bele regis Hungarie notarius N. suo dilectissimo amico uiro uenerabili et arte litteraris scientie inbuto salutem et sue peticionis effectum. Dum olim in scolari studio simul es- 3
semus et in hystoria Troiana, quam ego cum summo amore complexus ex libris Darethis Frigii ceterorumque auctorum, sicut a magistris meis audiueram, in unum uolumen proprio stilo compilaueram, pari uoluntate legeremus, petisti a me, ut, sicut hystoriam Troianam bellaque Grecorum scripseram, ita et genealogiam regum Hungarie et nobilium suorum, qualiter 4
septem principales persone, que Hetumoger uocantur, de terra Scithica descenderunt uel qualis sit terra Scithica et qualiter sit generatus dux Almus aut quare uocatur Almus primus dux Hungarie, a quo reges Hungarorum originem duxerunt, uel quot regna et reges sibi subiugauerunt aut quare populus de terra Scithica egressus per ydioma alienigenarum Hungarii et in sua lingua propria Mogerii uocantur, tibi scriberem. Pro- 5
misi etenim me facturum, sed aliis negotiis impeditus et tue peticionis et mee promissionis iam pene eram oblitus, nisi mihi per litteras tua dilectio debitum reddere monuisset. Memor 6
igitur tue dilectionis, quamuis multis et diuersis huius laboriosi seculi impeditus sim negotiis, facere tamen aggressus sum, que facere iussisti, et secundum tradiciones diuersorum hystoriographorum diuine gratie fultus auxilio optimum estimans, ut ne posteris in ultimam generationem obliuioni tradatur. Optimum ergo duxi, ut uere et simpliciter tibi scriberem, quod 7
legentes possint agnoscere, quomodo res geste essent. Et si 8
tam nobilissima gens Hungarie primordia sue generationis et fortia queque facta ex falsis fabulis rusticorum uel a garrulo cantu ioculatorum quasi sompniando audiret, ualde indecorum et satis indecens esset. Ergo potius an non de certa scriptu- 9
rarum explanatione et aperta hystoriarum interpretatione rerum ueritatem nobiliter percipiat. Felix igitur Hungaria, cui 10
sunt dona data uaria, omnibus enim horis gaudeat de munere sui litteratoris, quia exordium genealogie regum suorum et nobilium habet, de quibus regibus sit laus et honor regi eterno et sancte Marie matri eius, per gratiam cuius reges Hungarie et nobiles regnum habeant felici fine hic et in euum. Amen. 11

---

1. Hungarorum] hungarum *C* — 2. effectum] *corr. ex* affectum *C* — 9. an non] *legi nequit, corr. posterius ex* amo *C*

1 *De Scithia.* 12

Scithia igitur maxima terra est, que Dentumoger dicitur, 13
uersus orientem, finis cuius ab aquilonali parte extenditur
usque ad nigrum pontum. A tergo autem habet flumen, quod 14
dicitur Thanais, cum paladibus magnis, ubi ultra modum
habundanter inueniuntur zobolini ita, quod non solum nobiles
et ignobiles uestiuntur inde, uerum etiam bubulci et subbulci
ac opiliones sua decorant uestimenta in terra illa. Nam ibi 15
habundat aurum et argentum et inueniuntur in fluminibus terre
illius preciosi lapides et gemme. Ab orientali uero parte uicina 16
Scithie fuerunt gentes Gog et Magog, quos inclusit magnus
Alexander. Scithica autem terra multum patula in longitudine 17
et latitudine, homines uero, qui habitant eam, uulgariter Den-
tumoger dicuntur usque in hodiernum diem et nullius um-
quam imperatoris potestate subacti fuerunt. Scithici enim 18
sunt antiquiores populi et est potestas Scithie in oriente,
ut supra diximus. Et primus rex Scithie fuit Magog filius 19
Iaphet et gens illa a Magog rege uocata est Moger, a cuius
etiam progenie regis descendit nominatissimus atque poten-
tissimus rex Athila, qui anno dominice incarnationis CCCC-o 20
L-o I-o de terra Scithica descendens cum ualida manu in
terram Pannonie uenit et fugatis Romanis regnum obtinuit
et regalem sibi locum constituit iuxta Danubium super calidas
aquas et omnia antiqua opera, que ibi inuenit, renouari pre-
cepit et in circuitu muro fortissimo edificauit, que per lin-
guam Hungaricam dicitur nunc Buduuar et a Teothonicis Ecil-
burgu uocatur. Quid plura? Iter hystorie teneamus. Longo 21
autem post tempore de progenie eiusdem regis Magog de-
scendit Vgek pater Almi ducis, a quo reges et duces Hun-
garie originem duxerunt, sicut in sequentibus dicetur. Scithici 22
enim, sicut diximus, sunt antiquiores populi, de quibus hy-
storiographi, qui gesta Romanorum scripserunt, sic dicunt:
Quod Scithica gens fuisset sapientissima et mansueta, qui
terram non laborabant et fere nullum peccatum erat inter
eos. Non enim habebant domos artificio paratas, sed tantum 23
temptoria de filtro parata. Carnes et pisces et lac et mel man-
ducabant et pigmenta multa habebant. Vestiti enim erant de
pellibus zobolorum et aliarum ferarum. Aurum et argentum
et gemmas habebant sicut lapides, quia in fluminibus eius-
dem terre inueniebantur. Non concupiscebant aliena, quia 24
omnes diuites erant, habentes animalia multa et uictualia
sufficienter. Non erant enim fornicatores, sed solummodo

14. uestimenta] uestimeta *C* — 20. iuxta] iux-| *C* — 22. fuisset] fuissent *C* — 23. temptoria] *corr. in* tentoria *C*

unusquisque suam habebat uxorem. Postea uero iam dicta 25
gens fatigata in bello ad tantam crudelitatem peruenit, ut
quidam dicunt hystoriographi, quod iracundia ducti humanam
manducassent carnem et sanguinem bibissent hominum. Et
credo, quod adhuc eos cognoscetis, duram gentem fuisse de
fructibus eorum. Scithica enim gens a nullo imperatore fuit 26
subiugata. Nam Darium regem Persarum cum magna turpi-
tudine Scithici fecerunt fugere et perdidit ibi Darius octo-
ginta milia hominum et sic cum magno timore fugit in Persas.
Item Scithici Cirum regem Persarum cum trecentis et XXX 27
milibus hominum occiderunt. Item Scithici Alexandrum ma-
gnum filium Phylippi regis et regine Olympiadis, qui multa
regna pugnando sibi subiugauerat, ipsum etiam turpiter fu-
gauerunt. Gens namque Scithica dura erat ad sustinendum 28
omnem laborem et erant corpore magni Scithici et fortes in
bello. Nam nichil habuissent in mundo, quod perdere timuis- 29
sent pro illata sibi iniuria. Quando enim Scithici uictoriam
habebant, nichil de preda uolebant, ut moderni de posteris
suis, sed tantummodo laudem exinde querebant. Et absque 30
Dario et Cyro atque Alexandro nulla gens ausa fuit in mundo
in terram illorum intrare. Predicta uero Scithica gens dura 31
erat ad pugnandum et super equos ueloces et capita in galeis
tenebant et arcu ac sagittis meliores erant super omnes
nationes mundi et sic cognoscetis eos fuisse de posteris eorum.
Scithica enim terra quanto a torrida zona remotior est, tanto 32
propagandis generibus salubrior. Et quamuis admodum sit
spatiosa, tamen multitudinem populorum inibi generatorum
nec alere sufficiebat nec capere. Quapropter septem princi- 33
pales persone, qui Hetumoger dicti sunt, angusta locorum
non sufferentes ea maxime deuitare cogitabant. Tunc hii 34
septem principales persone habito inter se consilio constitu-
erunt, ut ad occupandas sibi terras, quas incolere possent,
a natali discederent solo, sicut in consequentibus dicetur.

2 *Quare Hungari dicitur.* 35

Nunc restat dicere, quare populus de terra Scythica 36
egressus Hungari uocantur. Hungari dicti sunt a castro Hungu
eo, quod subiugatis sibi Sclauis VII principales persone
intrantes terram Pannonie diutius ibi morati sunt. Vnde 37
omnes nationes circumiacentes uocabant Almum filium Vgek
ducem de Hunguar et suos milites uocabant Hunguaros.
Quid plura ? His omissis redeamus ad propositum opus iter- 38
que hystorie teneamus et, ut spiritus sanctus dictauerit, in-
ceptum opus perficiamus.

34. hii] *corr. posterius in* hee C

3 *De Almo primo duce.* 39

Anno dominice incarnationis DCCC-o XVIIII-o Vgek, 40
sicut supra diximus, longo post tempore de genere Magog
regis erat quidam nobilissimus dux Scithie, qui duxit sibi
uxorem in Dentumoger filiam Eunedubeliani ducis nomine
Emesu, de qua genuit filium, qui agnominatus est Almus.
Sed ab euentu diuino est nominatus Almus, quia matri eius 41
pregnanti per sompnium apparuit diuina uisio in forma asturis,
que quasi ueniens eam grauidauit et innotuit ei, quod de
utero eius egrederetur torrens et de lumbis eius reges gloriosi
propagarentur, sed non in sua multiplicarentur terra. Quia 42
ergo sompnium in lingua Hungarica dicitur almu et illius
ortus per sompnium fuit pronosticatus, ideo ipse uocatus est
Almus. Vel ideo uocatus est Almus, id est sanctus, quia ex
progenie eius sancti reges et duces erant nascituri. Quid 43
ultra ?

4 *De duce Almo.* 44

Dux autem Almus, postquam natus est in mundum, factum 45
est duci Vgek et suis cognatis gaudium magnum et fere om-
nibus primatibus Scithie eo, quod pater suus Vgek erat de
genere Magog regis. Erat enim ipse Almus facie decorus, 46
sed niger, et nigros habebat oculos, sed magnos, statura
longus et gracilis, manus uero habebat grossas et digitos
prolixos et erat ipse Almus pius beniuolus largus sapiens
bonus miles hylaris dator omnibus illis, qui in regno Sci-
thie tunc tempore erant milites. Cum autem ipse Almus per- 47
uenisset ad maturam etatem, uelut donum spiritus sancti
erat in eo, licet paganus, tamen potentior fuit et sapientior
omnibus ducibus Scithie et omnia negotia regni eo tempore
faciebant consilio et auxilio ipsius. Dux autem Almus, dum ad 48
maturam etatam iuuentutis peruenisset, duxit sibi uxorem in
eadem terra, filiam cuiusdam nobilissimi ducis, de qua genuit
filium nomine Arpad, quem secum duxit in Pannoniam, ut
in sequentibus dicetur.

5 *De electione Almi ducis.* 49

Gens itaque Hungarorum fortissima et bellorum laboribus 50
potentissima, ut superius diximus, de gente Scithica, que
per ydioma suum proprium Dentumoger dicitur, duxit origi-
nem. Et terra illa nimis erat plena ex multitudine populorum 51
inibi generatorum, ut nec alere suos sufficeret nec capere, ut

40. Eunedubeliani] eunedubeliani *C* — 42. pronosticatus] pronosticatum *C* — 46. Scithie] scithice *C*

supra diximus. Quapropter tunc VII principales persone, 52
qui Hetumoger uocantur usque in hodiernum diem, angusta
locorum non sufferentes habito inter se consilio, ut a natali
solo discederent, ad occupandas sibi terras, quas incolere
possent, armis et bello querere non cessarunt. Tunc elegerunt 53
sibi querere terram Pannonie, quam audiuerant fama uolante
terram Athile regis esse, de cuius progenie dux Almus pater
Arpad descenderat. Tunc ipsi VII principales persone con- 54
muni et uero consilio intellexerunt, quod inceptum iter per-
ficere non possent, nisi ducem ac preceptorem super se ha-
beant. Ergo libera uoluntate et communi consensu VII uiro- 55
rum elegerunt sibi ducem ac preceptorem in filios filiorum
suorum usque ad ultimam generationem Almum filium Vgek
et qui de eius generatione descenderent, quia Almus dux
filius Vgek et, qui de generatione eius descenderant, clariores
erant genere et potentiores in bello. Isti enim VII princi- 56
pales persone erant uiri nobiles genere et potentes in bello,
fide stabiles. Tunc pari uoluntate Almo duci sic dixerunt:
Ex hodierna die te nobis ducem ac preceptorem eligimus et,
quo fortuna tua te duxerit, illuc te sequemur. Tunc supradicti 57
uiri pro Almo duce more paganismo fusis propriis sanguinibus
in unum uas ratum fecerunt iuramentum. Et licet pagani 58
fuissent, fidem tamen iuramenti, quam tunc fecerant inter se,
usque ad obitum ipsorum seruauerunt tali modo.

6 *De iuramento eorum.* 59

Primus status iuramenti sic fuit: Vt, quamdiu uita du- 60
raret, tam ipsis quam etiam posteris suis semper ducem
haberent de progenie Almi ducis. Secundus status iuramenti 61
sic fuit: Vt, quicquid boni per labores eorum acquirere pos-
sent, nemo eorum expers fieret. Tercius status iuramenti sic 62
fuit: Vt isti principales persone, qui sua libera uoluntate
Almum sibi dominum elegerant, quod ipsi et filii eorum
nunquam a consilio ducis et honore regni omnino priuarentur.
Quartus status iuramenti sic fuit: Vt, siquis de posteris eorum 63
infidelis fieret contra personalem ducalem et discordiam fa-
ceret inter ducem et cognatos suos, sanguis nocentis fu-
deretur, sicut sanguis eorum fuit fusus in iuramento, quod
fecerunt Almo duci. Quintus status iuramenti sic fuit: Vt, 64
siquis de posteris ducis Almi et aliarum personarum princi-
palium iuramenti statuta ipsorum infringere uoluerit, anathe-
mati subiaceat in perpetuum. Quorum VII uirorum nomina 65
hec fuerunt: Almus pater Arpad, Eleud pater Zobolsu, a quo
genus Saac descendit, Cundu pater Curzan, Ound pater Ete,

64. statuta] statura *C*

a quo genus Calan et Colsoy descendit, Tosu pater Lelu,
Huba, a quo genus Zemera descendit, VII-us Tuhutum pater
Horca, cuius filii fuerunt Gyyla et Zombor, a quibus genus
Moglout descendit, ut inferius dicetur. Quid plura? Iter 66
hystorie teneamus.

7 *De egressu eorum.* 67

Anno dominice incarnationis DCCCLXXXVIIII., sicut in 68
annalibus continetur cronicis, septem principales persone,
qui Hetumoger uocantur, egressi sunt de terra Scithica uersus
occidentem, inter quos Almus dux filius Vgek de genere
Magog regis uir bone memorie dominus et consiliarius eorum
una cum uxore sua et filio suo Arpad et duobus filiis Hulec
auunculi sui, scilicet Zuard et Cadusa nec non cum multitudine
magna populorum non numerata federatorum de eadem re-
gione egressus est. Venientes autem dies plurimos per deserta 69
loca et fluuium Etyl super tulbou sedentes ritu paganismo
transnatauerunt et nunquam uiam ciuitatis uel habitaculi in-
uenerunt. Nec labores hominum comederunt, ut mos erat 70
eorum, sed carnibus et piscibus uescebantur, donec in Ru-
sciam, que Susudal uocatur, uenerunt. Et iuuenes eorum fere 71
cottidie erant in uenatione, unde a die illo usque ad presens
Hungarii sunt pre ceteris gentibus meliores in uenatu. Et sic 72
Almus dux cum omnibus suis uenientes terram intrauerunt
Ruscie, que uocatur Susudal.

8 *De Rutenia.* 73

Postquam autem ad partes Rutenorum peruenerunt, sine 74
aliqua contradicione usque ad ciuitatem Kyeu transierunt et,
dum per ciuitatem Kyeu transissent, fluuium Deneper trans-
nauigando uoluerunt regnum Rutenorum sibi subiugare. Tunc 75
duces Rutenorum hoc intelligentes timuerunt ualde eo, quod
audiuerant Almum ducem filium Vgek de genere Athile regis
esse, cui proaui eorum annuatim tributa persoluebant. Atta- 76
men dux de Kyeu conuocatis omnibus primatibus suis habito
inter se consilio elegerunt, ut pugnam promouerent contra
Almum ducem et magis uellent mori in bello, quam amitterent
regna propria et subiugati essent sine sua sponte duci Almo.
Statim dux de Kyeu missis legatis VII duces Cumanorum 77
suos fidelissimos amicos in adiutorium postulauit. Tunc hii 78
VII duces, quorum nomina hec fuerunt: Ed, Edum, Etu, Bun-
ger, Ousad pater Vrsuur, Boyta, Ketel pater Oluptulma non
modica multitudine equitum insimul coadunata causa ami-

68. DCCCLXXXVIIII.] DCCCLXXXIIII. *C* — Scithica] scithia *C* —
76. Kyeu] hyeu *C*

citie ducis de Kyeu celerrimo cursu contra Almum ducem
uenerunt. Et dux de Kyeu cum exercitu suo obuiam pro- 79
cessit eis et adiutorio Cumanorum armata multitudine contra
Almum ducem uenire ceperunt. Dux uero Almus, cuius adiutor 80
erat sanctus spiritus, armis indutus ordinata acie super equum
suum sedendo ibat huc et illuc confortans suos milites et
facto impetu stetit ante omnes suos et dixit eis: O Scithici 81
et conmilitones mei uiri fortissimi, memores estote initium
uiarum uestrarum, quando dixistis, quod terram, quam inco-
lere possetis, armis et bello quereretis. Ergo nolite turbari 82
de multitudine Ruthenorum et Cumanorum, qui assimulantur
nostris canibus. Nam canes statim, ut audiunt uerba domi-
norum suorum, nonne in timorem uertuntur? Quia uirtus 83
non ualet in multitudine populi, sed in fortitudine animi.
An nescitis, quia unus leo multos ceruos in fugam uertit, ut
dicit quidam philosophus? Sed hiis omissis dicam uobis: Quis
enim potuit contra stare militibus Scithie? Nonne Darium 84
regem Persarum Scithici in fugam conuerterunt et sic cum
timore et maxima turpitudine fugiit in Persas et perdidit
ibi octoginta milia hominum? Aut nonne Cyrum regem Per- 85
sarum Scithici cum trecentis XXX-ta milibus occiderunt? Aut
nonne magnum Alexandrum filium Philippi regis et regine
Olimpiadis, qui multa regna pugnando sibi subiugauerat, ipsum
etiam Scithici turpiter fugauerunt? Vnde strennue et fortiter 86
pugnemus contra eos, qui assimilantur nostris canibus, et
sic multitudinem eorum timeamus, ut muscarum multitu-
dinem. Hoc audientes milites Almi ducis multum sunt con- 87
fortati statimque sonuerunt tubas bellicas per partes et con-
mixta est utraque acies hostium ceperuntque pugnare acriter
inter se et interficiebantur plurimi de Ruthenis et Cumanis.
Predicti uero duces Ruthenorum et Cumanorum uidentes suos 88
deficere in bello in fugam uersi sunt et pro salute uite
properantes in ciuitatem Kyeu intrauerunt. Almus dux et
sui milites persequentes Ruthenos et Cumanos usque ad ciuita-
tem Kyeu et tonsa capita Cumanorum Almi ducis milites mac-
tabant tanquam crudas cucurbitas. Duces uero Ruthenorum et 89
Cumanorum in ciuitatem ingressi uidentes audatiam Scithico-
rum quasi muti remanserunt.

9 *De pace inter ducem et Ruthenos.* 90

Dux uero Almus et sui milites adepta uictoria terras 91
Ruthenorum sibi subiugauerunt et bona eorum accipientes in
secunda ebdomada ciuitatem Kyeu ceperunt expugnare. Et 92

79. exercitu] [ercitu *C* — 85. milibus] milibus χ *C* — occiderunt] *ccrr. ex* exciderunt *in* exocciderunt *pro* occiderunt *C* — 90. Ruthenos] rurhenos *C*

dum scalas ad murum ponere cepissent, uidentes duces
Cumanorum et Ruthenorum audatiam Scithicorum timuerunt
ualde. Et dum hoc intellexissent, quod eis obsistere non 93
ualerent, tunc missis legatis dux de Kyeu et alii duces
Ruthenorum nec non Cumanorum, qui ibi fuerunt, rogauerunt
Almum ducem et principes suos, ut pacem facerent cum eis.
Cum autem legati uenissent ad Almum ducem et eum ro- 94
gassent, ut domini eorum de sedibus non expellerentur suis,
tunc dux Almus inito consilio cum suis sic legatos remisit
Ruthenorum, ut duces et primates sui filios suos in obsides
darent tributumque annuatim persoluerent decem milia mar-
carum et insuper uictum uestitum et alia necessaria. Duces 95
uero Ruthenorum, licet non sponte, tamen hec omnia Almo
duci concesserunt, sed rogauerunt Almum ducem, ut dimissa
terra Galicie ultra siluam Houos uersus occidentem in ter-
ram Pannonie descenderent, que primo Athile regis terra
fuisset, et laudabant eis terram Pannonie ultra modum
esse bonam. Dicebant enim, quod ibi confluerent nobilissimi 96
fontes aquarum Danubius et Tyscia et alii nobilissimi fon-
tes bonis piscibus habundantes, quam terram habitarent
Sclaui Bulgarii et Blachii ac pastores Romanorum. Quia post 97
mortem Athile regis terram Pannonie Romani dicebant pa-
scua esse eo, quod greges eorum in terra Pannonie pasce-
bantur, et iure terra Pannonie pascua Romanorum esse di-
cebatur, nam et modo Romani pascuntur de bonis Hungarie.
Quid plura? 98

10 *De VII ducibus Cumanorum.* 99

Dux uero Almus et sui primates inito inter se consilio 100
peticioni ducum Ruthenorum satisfacientes pacem cum eis
fecerunt. Tunc duces Ruthenorum, scilicet de Kyeu et Susu- 101
dal, ut ne de sedibus suis expellerentur, filios suos in obsides
dederunt Almo duci et cum eis miserunt X-cem milia marca-
rum et mille equos cum sellis et frenis more Ruthenico
ornatis et centum pueros Cumanos et XL camelos ad onera
portanda pelles ermelinas et griseas sine numero ac alia
multa munera non numerata. Tunc prenominati duces Cuma- 102
norum, scilicet Ed, Edumen, Etu, Bunger pater Borsu,
Ousad pater Vrsuuru, Boyta, a quo genus Brucsa descendit,
Ketel pater Oluptulma cum uidissent pietatem Almi ducis,
quam fecit circa Ruthenos, pedibus eius prouoluti se sua
sponte duci Almo subiugauerunt dicentes: Ex hodierna die 103
nobis te dominum ac preceptorem usque ad ultimam gene-
rationem eligimus et, quo te fortuna tua duxerit, illuc te

101. Susudal] sudal *C*

sequemur. Hoc etiam, quod uerbo dixerunt Almo duci, fide 104
iuramenti more paganismo firmauerunt et eodem modo dux
Almus et sui primates eis fide se et iuramento se constrin-
xerunt. Tunc hii VII duces Cumanorum cum uxoribus et 105
filiis suis nec non cum magna multitudine in Pannoniam
uenire concesserunt. Similiter etiam multi de Ruthenis Almo 106
duci adherentes secum in Pannoniam uenerunt, quorum po-
steritas usque in hodiernum diem per diuersa loca in Hun-
garia habitat.

11 *De ciuitatibus Lodomer et Galicia.* 107

Tunc Almus dux et alii principales persone, qui Hetu- 108
moger dicuntur, nec non duces Cumanorum una cum cognatis
et famulis ac famulabus suis egressi sunt de Kyeu et in
ductu Ruthenorum Kyeuyensium uenerunt usque ad ciui-
tatem Lodomer. Dux uero Lodomeriensis et sui primates 109
obuiam Almo duci usque ad confinium regni cum diuersis
preciosis muneribus processerunt et ciuitatem Lodomeriam
ultro ei aperuerunt. Et dux Almus cum omnibus suis in 110
eodem loco per tres ebdomadas mansit, in tercia uero eb-
domada dux Ladomeriensis duos filios suos cum omnibus
filiis iobagionum suorum duci Almo in obsides dedit et
insuper duo milia marcarum argenti et centum marcas auri
cocti cum pellibus et palliis non numeratis et CCC equos
cum sellis et frenis et XXV camelos et mille boues ad onera
portanda et alia munera non numerata tam duci quam suis
primatibus presentauit. Et in quarta ebdomada dux Almus 111
cum suis in Galiciam uenit et ibi requiei locum sibi et suis
elegit. Hoc dum Galicie dux audiuisset, obuiam Almo duci 112
cum omnibus suis nudis pedibus uenit et diuersa munera
ad usum Almi ducis presentauit et aperta porta ciuitatis
Galicie quasi dominum suum proprium hospicio recepit et
unicum filium suum cum ceteris filiis primatum regni sui
in obsidem dedit et insuper X farisios optimos et CCC
equos cum sellis et frenis et tria milia marcarum argenti et
CC marcas auri et uestes nobilissimas tam duci quam etiam
omnibus militibus suis condonauit. Dum enim dux Almus 113
requiei locum per mensem unum in Galicia habuisset, tunc
dux Galicie ceterique consocii sui, quorum filii in obsides
positi erant, sic Almum ducem et suos nobiles rogare cepe-
runt, ut ultra Howos uersus occidentem in terram Pannonie
descenderent. Dicebant enim eis sic, quod terra illa nimis 114
bona esset et ibi confluerent nobilissimi fontes, quorum
nomina hec essent, ut supra diximus: Danubius, Tyscia,

108. qui] *corr. posterius ex* que *C*

Wag, Morisius, Crisius, Temus et ceteri; que etiam primo
fuisset terra Athile regis et mortuo illo preoccupassent
Romani principes terram Pannonie usque ad Danubium, ubi
collocauissent pastores suos. Terram uero, que iacet inter 115
Thisciam et Danubium, preoccupauisset sibi Keanus magnus
dux Bulgarie auus Salani ducis usque ad confinium Ruthenorum et Polonorum et fecisset ibi habitare Sclauos et Bulgaros. Terram uero, que est inter Thisciam et siluam Igfon, 116
que iacet ad Erdeuelu, a fluuio Morus usque ad fluuium
Zomus preoccupauisset sibi dux Morout, cuius nepos dictus
est ab Hungaris Menumorout eo, quod plures habebat amicas,
et terram illam habitarent gentes, qui dicuntur Cozar. Terram 117
uero, que est a fluuio Morus usque ad castrum Vrsua,
preoccupauisset quidam dux nomine Glad de Bundyn castro
egressus adiutorio Cumanorum, ex cuius progenie Ohtum
fuit natus, quem postea longo post tempore sancti regis
Stephani Sunad filius Dobuca nepos regis in castro
suo iuxta Morisium interfecit eo, quod predicto regi
rebellis fuit in omnibus. Cui etiam predictus rex pro bono 118
seruicio suo uxorem et castrum Ohtum cum omnibus apendiciis suis condonauit, sicut enim mos est bonorum dominorum suos fideles remunerare, quod castrum nunc Sunad nuncupatur. Quid ultra? 119

12 *Quomodo Pannoniam intrauerunt.* 120

Dux uero Almus et sui primates acquiescentes consiliis 121
Ruthenorum pacem firmissimam cum eis fecerunt. Duces
enim Ruthenorum, ut ne de sedibus suis expellerentur, filios
suos, ut supra diximus, in obsides dederunt cum muneribus
non numeratis. Tunc dux Galicie duo milia sagittatorum et 122
III-a milia rusticorum anteire precepit, qui eis per siluam
Houos uiam prepararent usque ad confinium Hung, et omnia
iumenta eorum uictualibus et aliis necessariis onerauit et
pecudes ad uictum condonauit sine numero. Tunc VII prin- 123
cipales persone, qui Hetumoger dicuntur, et hii VII duces
Cumanorum, quorum nomina supra diximus, una cum cognatis et famulis ac famulabus consilio et auxilio Ruthenorum
Galicie sunt egressi in terram Pannonie. Et sic uenientes 124
per siluam Houos ad partes Hung descenderunt. Et cum illuc
peruenissent, locum, quem primo occupauerunt, Muncas nominauerunt eo, quod cum maximo labore ad terram, quam sibi
adoptabant, peruenerant. Tunc ibi pro requie laborum suorum 125
XL dies permanserunt et terram ultra, quam dici potest,
dilexerunt. Sclaui uero habitatores terre audientes aduentum

117. Morus] mors *C* — Vrsua] urscia *C* — 123. qui] *corr. posterius ex* que *C*

eorum timuerunt ualde et sua sponte se Almo duci subiugauerunt eo, quod audiuerant Almum ducem de genere Athile regis descendisse. Et licet homines fuissent Salani ducis, 126
tamen cum magno honore et timore seruiebant Almo duci omnia, que sunt necessaria ad uictum, sicut decet domino suo, offerentes. Et talis timor et tremor irruerat super habi- 127
tatores terre et adulabantur duci et suis primatibus, sicut serui ad suos proprios dominos, et laudabant eis fertilitatem terre illius et narrabant, quomodo mortuo Athila rege magnus Keanus preauus ducis Salani dux de Bulgaria egressus auxilio et consilio imperatoris Grecorum preoccupauerat terram illam, qualiter etiam ipsi Sclaui de terra Bulgarie conducti fuerunt ad confinium Ruthenorum et qualiter nunc Salanus dux eorum se et suos teneret et quante potestatis esset circa suos uicinos.

13 *De Hung castro.* 128

Tunc dux Almus et sui primates audientes talia leciores 129
facti sunt solito et ad castrum Hung equitauerunt, ut caperent id. Et dum castra metati essent circa murum, tunc 130
comes eiusdem castri nomine Loborcy, qui in lingua eorum duca uocabatur, fuga lapsus ad castrum Zemlum properabat, quem milites ducis persequentes iuxta quendam fluuium comprehendentes laqueo suspenderunt in eodem loco et a die illo fluuium illum uocauerunt sub nomine eiusdem Loborcy. Tunc dux Almus et sui castrum Hung subintrantes diis 131
inmortalibus magnas uictimas fecerunt et conuiuia per IIII-or dies celebrauerunt. Quarto autem die inito consilio et accepto 132
iuramento omnium suorum dux Almus ipso uiuente filium suum Arpadium ducem ac preceptorem constituit et uocatus est Arpad dux Hunguarie et ab Hungu omnes sui milites uocati sunt Hunguari secundum linguam alienigenarum et illa uocatio usque ad presens durat per totum mundum.

14 *De Arpad duce.* 133

Anno dominice incarnationis DCCC-o XC-o III-o Arpad dux 134
missis exercitibus suis totam terram, que est inter Thisciam et Budrug usque ad Vgosam, sibi cum omnibus habitatoribus suis preoccupauit et castrum Borsoa obsedit et tercio die pugnando apprehendit, muros eius destruxit et milites Salani ducis, quos ibi inuenit, cathenis ligatos in castrum Hung duci precepit. Et dum ibi per plures dies habitassent, dux 135

---

127. conducti] conductu *C* — 129. Tunc] Dunc (D *littera initialis rubro colore picta) C* — id] eum *C* — 130. Zemlum] *in loco vacuo posterius inscr. C* — 134. DCCC-o XC-o] DCCCC-o *C*

et sui uidentes fertilitatem terre et habundantiam omnium
bestiarum et copiam piscium de fluminibus Thiscie et Bud-
rug terram ultra, quam dici potest, dux Arpad et sui dilexe-
runt. Tandem uero, dum hec omnia, que acta fuerant, dux 136
Salanus a suis fuga lapsis audiuisset, manum leuare ausus
non fuit, sed missis legatis suis more Bulcarico, ut mos est
eorum, minari cepit et Arpadium ducem Hungarie quasi
deridendo salutauit et suos pro risu Hunguaros appellauit
et multis modis mirari cepit, qui essent et unde uenissent,
qui talia facere ausi fuissent, et mandauit eis, ut mala facta
sua emendarent et fluuium Budrug nullo modo transire
auderent, ut ne ipse ueniens cum adiutorio Grecorum et Bul-
garorum de malo facto eorum eis uicem reddens uix aliquem
dimitteret, qui ad propria remeans salutis gaudia nuntiaret.
Missi uero Salani ducis uenientes ad castrum Zemlin et trans- 137
ito fluuio Budrug secunda die ad ducem Arpadium perue-
nerunt, tercio autem die ducem Arpadium uerbo domini sui
salutauerunt et mandata eius duci Arpadio retulerunt. Dux 138
autem Arpad audita legatione Salani superbi ducis non su-
perbe, sed humiliter ei respondit dicens: Licet preauus meus 139
potentissimus rex Athila habuerit terram, que iacet inter
Danubium et Thysciam usque ad confinium Bulgarorum, quam
ipse habet, attamen ego non propter aliquem timorem Grecorum
uel Bulgarorum, quod eis resistere non ualeam, sed propter ami-
ciciam Salani ducis uestri peto de mea iusticia unam partiuncu-
lam propter pecora mea, scilicet terram usque ad fluuium Souiou
et insuper peto ab ipso duce uestro, ut mittat mihi gratia
ipsius duas lagungulas plenas aqua Danubii et unam sarcinam
de herbis sabulorum Olpar, ut possim probare, si sint dul-
ciores herbe sabulorum Olpar herbis Scythicorum, id est
Dentumoger, et aque Danubii si sint meliores aquis Thanaydis.
Et data eis legatione diuersis eos muneribus ditauit et capta 140
beniuolentia eorum repatriare precepit. Tunc dux Arpad 141
inito consilio eodem modo misit nuncios suos ad Salanum
ducem et misit ei XII albos equos et XII camelos et XII
pueros Cumanicos et ducisse XII puellas Ruthenicas pru-
dentissimas et duodecim pelles ermelinas et XII zobolos et
XII pallia deaurata. Et missi sunt in legatione illa de nobi- 142
lioribus personis Oundu pater Ethe et alter Ketel pater Olup-
tulmae et tercium miserunt quendam strennuissimum militem
nomine Tursol causa spectaculi, qui inspiceret qualitatem
terre et citius reuersus nuntiaret domino suo duci Arpad.

139. Souiou] louiou *C*

15 *De Camaro castro.* 143

Missi uero Arpad ducis Oundu pater Ethe et Ketel pater 144
Oluptulma et Turzol miles Cumanus, cuius genealogia defecit
in semetipso, uenientes fluuium Budrug transnatauerunt in
illo loco, ubi paruus fluuius manans a Saturholmu de-
scendit in Budrug. Et sic transeuntes fluuium Budrug, cum 145
predictum paruum fluuium transirent quasi leti, tunc per
inundationem aquarum Ketel equo offendente in aquam submer-
sus est et sociis suis adiuuantibus uix a leto liberatus est. Tunc
fluuius ille per socios Ketel uocatus est per risum Ketelpotaca.
Et postea dux Arpad per gratiam suam totam terram cum 146
habitatoribus suis eidem Ketel a Saturholmu usque ad flu-
uium Tulsuoa condonauit et non tantum hec, sed etiam
maiora hiis condonauit, quia dux Arpad subiugata sibi tota
terra Pannonie pro fidelissimo seruicio suo eidem Ketel dedit
terram magnam iuxta Danubium, ubi fluuius Wag descendit,
ubi postea Oluptulma filius Ketel castrum construxit, quod
Camarum nuncupauit. Ad seruicium cuius castri tam de po- 147
pulo secum ducto quam etiam a duce aquisito duas partes
condonauit, ubi etiam longo post tempore ipse Ketel et filius
suus Tulma more paganismo sepulti sunt, sed terram illam,
que nunc Ketelpotaca uocatur, posteritas eius usque ad tem-
pora Andree regis filii calui Ladizlay habuit. Attamen rex 148
Andreas de posteris Ketel canbiuit illum locum duabus de
causis, unum quia utilis regibus erat ad uenationes, secun-
dum quia diligebat partes illas habitare uxor sua eo, quod
propius ad natale solum esset, quia erat filia ducis Ruthenorum
et timebat aduentum imperatoris Theotonicorum, ut ne
ulturus sanguinem Petri regis Hungariam intraret, ut in
sequentibus dicetur.

16 *De monte Turzol.* 149

Tunc Ound et Ketel nec non Turzol transeuntes siluam 150
iuxta fluuium Budrug equitando quasi brauium accipere uo-
lentes super equos uelocissimos currentes super uerticem
unius alcioris montis ascenderunt. Quos Turzol miles stren- 151
nuissimus antecedens cacumen montis primus omnium ascen-
dit et montem illum a die illo usque nunc montem Turzol
nominauerunt. Tunc hii tres domini super uerticem eiusdem 152
montis terram undique perspicientes, quantum humanus ocu-
lus ualet, ultra, quam dici potest, dilexerunt et in eodem loco
more paganismo occiso equo pinguissimo magnum aldamas

144., 146. a Saturholmu] asaturholmu *C* — 148. canbiuit] canbiu̅ *C* — propius] proprius *C* — ulturus] ulterius *C*

fecerunt. Turzol a sociis accepta licentia, sicut erat uir 153
audax et fidus in armis, cum suis militibus ad ducem Arpadium reuersus est, ut ei utilitatem illius terre nuntiaret. Quod et sic factum est. Ound uero et Ketel equitantes celerrimo 154
cursu egressi de monte Turzol tercio die ducem Salanum in castro Opar iuxta Thysiam inuenerunt, quem ex parte Arpad salutauerunt et ei secunda die post ingressum curie sue dona, que secum portauerant, presentauerunt ac mandata Arpad ducis ei retulerunt. Dux Salanus uisis muneribus 155
et audita legatione tam suorum quam istorum letior factus est solito et missos Arpad ducis benigne suscepit et diuersis donis ditauit et insuper postulata Arpad concessit. Decimo autem die 156
Ound et Ketel accepta licentia a Salano duce repatriare ceperunt, per quos dux Salanus duas lagungulas aqua Danubii plenas et unam sarcinam de herbis melioribus sabulorum Olpar quasi pro risu deridendo cum diuersis muneribus duci Arpad misit et insuper cum habitatoribus suis terram usque ad fluuium Souyoy concessit. Tunc Ound et Ketel ad ducem 157
Arpad cicius uenientes cum legatis Salani ducis ac munera missa presentauerunt et terram cum omnibus habitatoribus suis duci Arpadio condonatam esse dixerunt, unde maxima leticia orta est in curia Arpad ducis et per III dies magnum conuiuium celebrauerunt. Et tunc roborata pace legatos Salani 158
ducis diuersis muneribus ditatos repatriare dimisit paciferos.

17 *De Zerensze.* 159

Arpad uero dux et sui nobiles egressi de castro Hung cum 160
magno gaudio ultra montem Turzol castra metati sunt in campo iuxta fluuium Tucota usque ad montem Zerenche et inspicientes super montana illa qualitatem illius loci et nominauerunt locum illum amabilem, quod interpretatur in lingua eorum zerelmes, eo, quod multum dilexerunt illum locum, et a die illo usque nunc a zẽrelmu locus ille uocatur Zerenche. Vbi etiam dux Arpad et omnes sui primates cum 161
omni familia sua labore postposito factis tuguriis requiei locum sibi elegerunt et non paucos ibi dies permanserunt, donec omnia loca sibi uicina subiugauerunt, scilicet usque ad fluuium Souyou et usque ad castrum salis. Et ibidem iuxta 162
Tocotam et infra siluas dux Arpad dedit terras multas diuersorum locorum cum suis habitatoribus Edunec et Edumernec. Quas etiam terras posteritas eorum diuina gratia adiuuante usque nunc habere meruerunt. Predictus uero Turzol per 163
gratiam Arpad ducis ad radicem eiusdem montis, ubi Budrug descendit in Tysciam, aquisiuit magnam terram et in eodem loco castrum construxit terreum, quod nunc in presenti Hymusuduor nuncupatur.

18 *De Borsod.* 164

Et dum ita radicati essent, tunc communi consilio et am- 165
monicione omnium incolarum missus est Borsu filius Bunger
cum ualida manu uersus terram Polonorum, qui confinia regni
conspiceret et obstaculis confirmaret usque ad montem Tur-
tur et in loco conuenienti castrum construeret causa custodie
regni. Borsu uero accepta licentia egressus felici fortuna col- 166
lecta multitudine rusticorum iuxta fluuium Buldua castrum
construxit, quod uocatum est a populo illo Borsod eo, quod
paruum fuerit. Bors uero acceptis filiis incolarum in obsides 167
et factis metis per montes Turtur reuersus est ad ducem Ar-
pad et de reuersione Borsu factum est gaudium magnum in
curia ducis. Dux uero pro beneficio suo Borsum in eodem ca- 168
stro comitem constituit et totam curam illius partis sibi con-
donauit.

19 *De duce Bycoriensy.* 169

Dux uero Arpad transactis quibusdam diebus accepto con- 170
silio nobilium suorum legatos misit in castrum Byhor ad du-
cem Menumorout petens ab eo, quod de iusticia atthaui sui
Atthyle regis sibi concederet terram a fluuio Zomus usque
ad confinium Nyr et usque ad portam Mezesynam, et misit ei
donaria sua, sicut primo miserat Salano duci Tytulensy. Et 171
in legatione illa missi sunt duo strennuissimi milites: Vsubuu
pater Zoloucu et Velec, a cuius progenie Turda episcopus de-
scendit. Erant enim isti genere nobilissimi sicut et alii de 172
terra Scythica egressi, qui post Almum ducem uenerant cum
magna multitudine populorum.

20 *Qualiter contra Byhor missum est.* 173

Missi uero Arpad ducis Vsubuu et Veluc fluuium Thyscie 174
in portu Lucy transnauigauerunt et hinc egressi in castrum
Byhor uenientes ducem Menumorout salutauerunt et donaria,
que dux eorum miserat, ei presentauerunt. Tandem uero man- 175
data Arpad ducis ei referentes terram, quam prenominauimus,
postulauerunt. Dux autem Menumorout eos benigne recepit
et diuersis donis ditatos tercia die repatriare precepit. Qui- 176
bus tamen ita respondit dicens: Dicite Arpadio duci Hungarie
domino uestro, debitores sumus ei ut amicus amico in omni-
bus, que ei necessaria sunt, quia hospes homo est et in multis
indiget. Terram autem, quam petiuit a nostra gratia, nulla- 177
tenus concedimus nobis uiuentibus. Hoc etiam indigne tulimus,
quod Salanus dux ei concessit maximam terram aut propter
amorem, ut dicitur, aut propter timorem, quod negatur. Nos 178
autem nec propter amorem nec propter timorem ei concedimus

terram, etiam quantum pugillus caperet, licet dixerit ius suum
esse. Et uerba sua non conturbant animum nostrum eo, quod 179
mandauerit nobis se descendisse de genere Atthile regis, qui
flagellum dei dicebatur, qui etiam uiolenta manu rapuerat
terram hanc ab atthauo meo, sed tamen modo per gratiam do-
mini mei imperatoris Constantinopolitani nemo potest auferre
de manibus meis. Et hoc dicto dedit eis licentiam recedendi. 180
Tunc Vsubuu et Veluc legati ducis Arpad cursu celeriori ad
dominum suum properauerunt et uenientes mandata Menumo-
rout domino suo duci Arpad retulerunt. Arpad uero dux et 181
sui nobiles hoc audientes iracundia ducti sunt et statim contra
eum exercitum mittere ordinauerunt. Tunc constituerunt, quod 182
Tosu pater Lelu et Zobolsu filius Eleud, a quo genus Saac
descendit, nec non Tuhtum pater Horca auus Geula et Zumbor,
a quibus genus Moglout descendit, irent. Qui cum a duce Ar- 183
padio essent licentiati, cum exercitu non modico egressi sunt
et Thysciam transnatauerunt in portu Ladeo nemine aduer-
sario contradicente. Secundo autem die ceperunt equitare 184
iuxta Thysciam uersus fluuium Zomus et castra metati sunt
in illo loco, ubi nunc est Zobolsu, et in eodem loco fere omnes
habitatores terre se sua sponte eis subiugauerunt et pedibus
eorum prouoluti filios suos in obsides dederunt, ut ne aliquid
mali paterentur. Nam timebant eos fere omnes gentes et 185
quidam a facie eorum fugientes uix euaserunt, qui uenientes ad
Menumorout facta eorum nuntiauerunt. Hoc audito talis et 186
tantus timor irruit super Menumorout, quod manum leuare
ausus non fuit, quia omnes habitatores timebant eos ultra,
quam dici potest, eo, quod audiuerant Almum ducem patrem
Arpadii a genere Atthile regis descendisse, unde nullus cre-
debat se posse uiuere nisi per gratiam Arpad filii Almi
ducis et suorum nobilium, unde plurimi se sua sponte subiu-
gabant eis. Bene impleuit deus in Almo duce et filio suo 187
Arpad propheciam, quam cecinit Moyses propheta de filiis
Israel dicens: Et locus, quem calcauerit pes uester, uester
erit. Quia a die illo loca, que calcauerunt Almus dux et 188
filius suus Arpad cum suis nobilibus, usque ad praesens
posteritates eorum habuerunt et habent.

21 *De Zobolsu.* 189

Tunc Zobolsu uir sapientissimus considerans quendam 190
locum iuxta Thysciam et, cum uidisset qualitatem loci, intel-
lexit esse munitissimum ad castrum faciendum. Communi
ergo consilio sociorum suorum congregatione facta ciuium

178. caperet] capere *C* — 186. timor] *om.* *C* — genere] ge-| o nere *C* —
187. de] a *C*

fecit fossatam magnam et castrum fortissimum edificauit
de terra, quod nunc castrum Zobolsu nuncupatur. Tunc Zo- 191
bolsu et socii sui de incolis terre ad castrum illud multos
ordinauerunt seruientes, qui nunc ciuiles uocantur, et dimis-
sis ibi militibus sub quodam nobilissimo milite nomine
Eculsu se longius ire preparauerunt. Tunc Zobolsu et socii 192
sui totum exercitum in duas partes diuiserunt, ut una pars
iret iuxta fluuium Zomus et altera pars per partes Nir.
Zobolsu et Thosu pater Lelu cum medietate exercitus egressi 193
sunt per crepidinem Thyscie subiugando sibi gentes et uene-
runt uersus fluuium Zomus ad illum locum, qui nunc dici-
tur Saruuar. Et in eodem loco infra paludes Thosu pater 194
Lelu congregata multitudine populi fossatam magnam fecit
et castrum munitissimum de terra construxit, quod primo
castrum Thosu nominatum fuit, nunc uero Saruuar uocatur,
et acceptis filiis incolarum in obsides castrum militibus
plenum dimiserunt. Tunc Thosu per peticionem populi do- 19
mino suo duci Arpad subiugati fecit stare forum inter Nir
et Thysciam, cui etiam foro nomen suum imposuit, quod
usque nunc forum Thosu nuncupatur. Post uero Zobolsu et 196
Thosu hinc egressi usque ad castrum Zotmar peruenerunt et
castrum per tres dies pugnando obsidentes uictoriam adepti
sunt. Et quarto die castrum intrantes milites ducis Menumo- 197
rout, quos ibi apprehendere potuerunt, cathenis ferreis obliga-
tos in teterrima carceris inferiora miserunt et filios incolarum
in obsides acceperunt et castrum militibus plenum dimiserunt,
ipsi uero ad portas Mezesinas ire ceperunt.

22 *De Nyr.* 198

Tuhutum uero et filius suus Horca per partes Nyr equi- 199
tantes magnum sibi populum subiugauerunt a siluis Nyr
usque ad Vmusouer. Et sic ascendentes usque ad Zyloc 200
peruenerunt contra eos nemine manum leuante, quia dux
Menumorout et sui non sunt ausi pugnare contra eos, sed
fluuium Cris custodire ceperunt. Tunc Tuhutum et filius 201
suus Horca de Ziloc egressi uenerunt in partes Mezesinas
ad Zobolsum et Thosum et, cum se ad inuicem uidissent,
gaudio gauisi sunt magno et facto conuiuio unusquisque
laudabat se ipsum de sua uictoria. Mane autem facto Zo- 202
bolsu Thosu et Tuhutum inito consilio constituerunt, ut
meta regni ducis Arpad esset in porta Mezesina. Tunc in- 203
cole terre iussu eorum portas lapideas edificauerunt et
clausuram magnam de arboribus per confinium regni fecerunt.
Tunc hii tres prenominati uiri omnia facta sua duci Arpad

195. peticionem] peticionēne *C*

et suis primatibus per fideles nuntios mandauerunt. Quod 204
cum renuntiatum fuisset duci Arpad et suis yobagyonibus,
gauisi sunt gaudio magno ualde et more paganismo fecerunt
aldumas et gaudium adnuntiantibus diuersa dona presenta-
uerunt. Dux uero Arpad et sui primates ob hanc causam 205
leticie per totam unam ebdomadam sollempniter comedebant
et fere singulis diebus inebriebantur propter euentum tante
leticie. Et hoc audito dux Arpad et sui egressi sunt a Zeremsu 206
et castra metati sunt iuxta fluuium Souiou a Thyscia usque
ad fluuium Honrat.

23 *De uictoria Thosu Zobolsu et Tuhutum.* 207

Thosu et Zobolsu nec non Tuhutum cum uidissent, quod 208
deus dedit eis uictoriam magnam et subiugauerunt domino
suo fere plures nationes illius terre, tunc exaltati sunt ni-
mis super habitatores illius terre et, dum ibi nullus inuentus
esset eis, plures dies ibi manserunt, donec confinia regni
firmauerunt obstaculis firmissimis.

24 *De terra ultrasiluana.* 209

Et dum ibi diutius morarentur, tunc Tuhutum pater 210
Horca, sicut erat uir astutus, dum cepisset audire ab incolis
bonitatem terre ultrasiluane, ubi Gelou quidam Blacus domi-
nium tenebat, cepit ad hoc hanelare, quod, si posse esset,
per gratiam ducis Arpad domini sui terram ultrasiluanam
sibi et suis posteris acquireret. Quod et sic factum fuit 211
postea, nam terram ultrasiluanam posteritas Tuhutum usque
ad tempus sancti regis Stephani habuerunt et diucius habuis-
sent, si minor Gyla cum duobus filiis suis Biuia et Bucna
Christiani esse uoluissent et semper contrarie sancto regi non
fecissent, ut in sequentibus dicetur.

25 *De prudentia Tuhuti.* 212

Predictus uero Tuhutum uir prudentissimus misit quen- 213
dam uirum astutum patrem Opaforcos Ogmand, ut furtiue
ambulans preuideret sibi qualitatem et fertilitatem terre ultra-
siluane et quales essent habitatores eius. Quod si posse 214
esset, bellum cum eis committeret, nam uolebat Tuhutum per
se nomen sibi et terram aquirere. Vt dicunt nostri ioculato-
res: Omnes loca sibi aquirebant et nomen bonum accipiebant.
Quid plura? Dum pater Ogmand speculator Tuhutum per 215
circuitum more uulpino bonitatem et fertilitatem terre et habi-
tatores eius inspexisset, quantum humanus uisus ualet, ultra,
quam dici potest, dilexit et celerrimo cursu ad dominum suum

205. euentum] euentum *(totum verbum posterius corr.)* *C* — 206. ad] sad *C*

reuersus est. Qui cum uenisset, domino suo de bonitate 216
illius terre multa dixit: Quod terra illa irrigaretur optimis fluuiis, quorum nomina et utilitates seriatim dixit, et quod in arenis eorum aurum colligerent et aurum terre illius optimum esset et ut ibi foderetur sal et salgenia et habitatores terre illius uiliores homines essent tocius mundi, quia essent Blasii et Sclaui, quia alia arma non haberent nisi arcum et sagittas et dux eorum Geleou minus esset tenax et non haberet circa se bonos milites et auderent stare contra audatiam Hungarorum, quia a Cumanis et Picenatis multas iniurias paterentur.

26 *Quomodo contra Gelu itum est.* 217

Tunc Tuhutum audita bonitate terre illius misit legatos 218
suos ad ducem Arpad, ut sibi licentiam daret ultra siluas eundi contra Gelou ducem pugnare. Dux uero Arpad inito 219
consilio uoluntatem Tuhutum laudauit et ei licentiam ultra siluas eundi contra Gelou pugnare concessit. Hoc dum Tuhu- 220
tum audiuisset a legato, preparauit se cum suis militibus et dimissis ibi sociis suis egressus est ultra siluas uersus orientem contra Gelou ducem Blacorum. Gelou uero dux 221
ultrasiluanus audiens aduentum eius congregauit exercitum suum et cepit uelocissimo cursu equitare obuiam ei, ut eum per portas Mezesinas prohiberet, sed Tuhutum uno die siluam pertransiens ad fluuium Almas peruenit. Tunc uterque 222
exercitus ad inuicem peruenerunt medio fluuio interiacente. Dux uero Gelou uolebat, quod ibi eos prohiberet cum sagittariis suis.

27 *De morte Gelu.* 223

Mane autem facto Tuhutum ante auroram diuisit exer- 224
citum suum in duas partes et partem alteram misit parum superius, ut transito fluuio militibus Gelou nescientibus pugnam ingrederentur. Quod sic factum est. Et quia leuem ha- 225
buerunt transitum utraque acies, pariter ad pugnam peruenerunt et pugnatum est inter eos acriter, sed uicti sunt milites ducis Gelou et ex eis multi interfecti, plures uero capti. Cum 226
Gelou dux eorum hoc uidisset, tunc pro defensione uite cum paucis fugam cepit. Qui cum fugeret properans ad castrum suum iuxta fluuium Zomus positum, milites Tuhutum audaci cursu persequentes ducem Geloum iuxta fluuium Copus interfecerunt. Tunc habitatores terre uidentes mortem domini sui 227
sua propria uoluntate dextram dantes dominum sibi elegerunt Tuhutum patrem Horca et in loco illo, qui dicitur Escu-

221. ultrasiluanus] ultrasiluanis *C*

leu, fidem cum iuramento firmauerunt et a die illo locus ille
nuncupatus est Esculeu eo, quod ibi iurauerunt. Tuhutum 228
uero a die illo terram illam obtinuit pacifice et feliciter, sed
posteritas eius usque ad tempora sancti regis Stephani obtinuit.
Tuhutum uero genuit Horcam, Horca genuit Geulam et Zubor,
Geula genuit duas filias, quarum una uocabatur Caroldu et
altera Saroltu et Sarolt fuit mater sancti regis Stephani.
Zumbor uero genuit minorem Geulam patrem Biie et Bucne, 229
tempore cuius sanctus rex Stephanus subiugauit sibi terram
ultrasiluanam et ipsum Geulam uinctum in Hungariam duxit
et per omnes dies uite sue carceratum tenuit eo, quod in fide
esset uanus et noluit esse Christianus et multa contraria fa-
ciebat sancto regi Stephano, quamuis fuisset ex cognatione
matris sue.

28 *De duce Menumorout.* 230

Tosu uero et Zobolsu adepta uictoria reuersi sunt ad 231
ducem Arpad subiugando totum populum a fluuio Zomus
usque ad Crisium et nullus contra eos ausus fuit manus le-
uare. Et ipse Menumorout dux eorum magis preparabat uias 232
suas in Greciam eundi, quam contra eos ueniendi. Et deinde
egressi descenderunt iuxta quendam fluuium nomine Humo-
souer et uenerunt usque ad lutum Zerep. Et deinde egressi 233
uenerunt usque ad Zeguholmu et ibi uolebant transire Cri-
sium, ut contra Menumorout pugnarent, sed uenientes mili-
tes Menumorout eis transitum prohibuerunt. Deinde egressi 234
per diem unum equitantes castra metati sunt iuxta paruos
montes et hinc iuxta fluuium Turu equitantes usque ad Thy-
sciam peruenerunt et in portu Drugma fluuium Thyscie
transnauigantes, ubi etiam per gratiam Arpad ducis cuidam
Cumano militi nomine Huhot magnam terram aquisiuerunt,
quam posteritas eius usque nunc habuerunt.

29 *De reditu eorum.* 235

Dum nauigassent fluuium Thyscie, nuntios suos ad ducem 236
Arpadium premiserunt, qui gaudia salutis nuntiarent. Qui cum 237
ad ducem Arpad uenissent et gaudia eius annuntiassent, quod
Zobolsu et Tosu cum exercitu suo sani et incolumes reuersi
essent et portum Drugma cum omnibus exercitibus suis trans-
nauigassent, hoc cum audiuisset dux Arpad, quod Thosu et
Zobolsu cum omnibus exercitibus suis sani et incolumes re-
uersi essent et fluuium Thyscie transnauigassent, fecit ma-
gnum conuiuium et gaudium annuntiantibus diuersa dedit do-
naria. Tunc Thosu et Zobolsu cum curiam ducis intrare uel- 238

229. Biie] bue *C* — 237. Tosu] tuso *C*

lent, dux omnes suos milites obuiam eis premisit et sic eos
cum magno gaudio recepit et, sicut mos est bonorum domino-
rum suos diligere fideles, fere cottidie eos faciebat ad mensam
suam comedere et multa eis dona presentabat. Similiter etiam 239
ipsi duci Arpad diuersa dona ac filios incolarum in obsides
eis positos presentauerunt.

:30 *De duce Salano.* 240

Dux uero Arpad transactis quibusdam diebus inito con- 241
silio et sui nobiles miserunt nuntios suos ad ducem Salanum,
qui nuntiarent ei uictoriam Thosu et Zobolsu nec non et Tu-
hutum quasi pro gaudio et peterent ab eo terram usque ad
fluuium Zogea. Quod sic factum est. Missi sunt enim Etu et 242
Voyta, qui, cum inuenissent ducem Salanum in sabulo Olpar,
mandata gaudia nuntiauerunt et terram ab eo usque ad flu-
uium Zogea postulauerunt. Salanus dux hoc audito in maxi- 243
mum irruit timorem et terram ab ipso postulatam timore per-
cussus usque ad fluuium Zogeua duci Arpad concessit et lega-
tis diuersa dona presentauit. Septimo autem die Etu et Voyta 244
accepta licentia ad dominum suum sunt reuersi, quos dux
Arpad honorifice recepit et audita legatione eorum factum est
gaudium magnum in curia ducis et cepit dux donare suis fide-
libus loca et possessiones magnas.

:31 *De egressu Zeremsu.* 245

Postea dux et sui principes egressi sunt de Zeremsu et 246
transnauigauerunt fluuium Souyou in illo loco, ubi fons Hon-
rad descendit, et castra metati sunt iuxta fluuium Heuyou us-
que ad Thysciam et usque ad Emeud et permanserunt ibi per
unum mensem. Ibi etiam dux dedit Bungernec patri Borsu ter- 247
ram magnam a fluuio Topulucea usque ad fluuium Souyou,
que nunc uocatur Miscoucy, et dedit ei castrum, quod dicitur
Geuru, et illud castrum filius suus Borsu cum suo castro,
quod dicitur Borsod, unum fecit comitatum.

:32 *De castro Vrsuur et fluuio Egur.* 248

Postea dux Arpad et sui nobiles hinc egressi uenientes 249
usque ad fluuium Naragy et castra metati sunt iuxta riuulos
aquarum a loco illo, qui nunc dicitur Casu, ubi etiam dedit
terram magnam Ousadunec patri Vrsuur et ibi postea Vrsuur
filius eius ad caput eiusdem fluminis castrum construxit,
quod nunc castrum Vrsuur nuncupatur. Hinc uero dux Arpad 250
et sui egressi uenerunt usque ad fluuium Egur et ibi paratis
tuguriis plures dies permanserunt et montem illum, super

241. Zobolsu] bulsuu *C*

quem duci foliata fecerunt, nominauerunt Zenuholmu et castra eorum fuerunt a fluuio Ystoros usque ad castrum Purozlou. Deinde egressi uenerunt usque ad fluuium Zogea et 251
castra metati sunt per crepitudinem eiusdem fluminis a Thyscia usque ad siluam Matra et subiugauerunt sibi omnes habitatores terre a Grisio usque ad fluuium Zogeua et usque ad siluam Zepus. Tunc dux Arpad in silua Matra dedit terram 252
magnam Edunec et Edumenec, ubi postea Pota nepos eorum castrum construxit, ex quorum etiam progenie longo post tempore rex Samuel descendit, qui pro sua pietate Oba uocabatur.

33 *De castro Nougrad et Nitra.* 253

In eisdem temporibus dux Arpad, dum se per milites suos 254
uidisset ita sublimatum et tutum esse, tunc habito inter se consilio misit multos milites in expedicionem, qui subiugarent sibi populum de castro Gumur et Nougrad, et, si fortuna eis faueret, tunc ascenderent uersus fines Boemorum usque ad castrum Nitra. Quibus etiam militibus in expeditionem eunti- 255
bus principes et ductores constituit duos filios auunculi sui Hulec Zuardum et Cadusam nec non Hubam unum de principalibus personis. Tunc hii tres domini accepta licentia a duce 256
Arpad egressi sunt a loco illo, qui dicitur Paztuh, equitantes iuxta fluuium Hongun et eundem fluuium transierunt iuxta fluuium Souyou. Et inde egressi sunt per partes castri Gumur 257
et uenerunt usque ad montem Bulhadu et inde ad partes Nougrad uenientes usque ad fluuium Caliga peruenerunt. Hinc 258
uero egredientes per crepitudinem Danubii iuerunt et fluuium Wereuecca transeuntes castra metati sunt iuxta fluuium Ypul. Et quia diuina gratia in eis erat, timuit eos omnis homo et 259
maxime ideo timebant eos, quia audierant ducem Arpadium filium Almi ducis ex progenie Athile regis descendisse. Tunc 260
omnes Sclaui habitatores terre, qui primo erant Salani ducis, propter timorem eorum se sua libera sponte subiugauerunt eis nullo manum subleuante. Et ita cum magno timore et tremore seruiebant eis, ac si olim domini eorum fuissent. Tunc 261
Zuardu et Cadusa nec non Huba, a quo prudens Zemera descendit, cum uidissent populum multum sine bello ipsis subiugatum, fecerunt magnum conuiuium et melioribus habitatoribus terre, qui filios suos in obsides dederant, diuersa dona presentauerunt et blandis uerbis sub dominium ducis Arpad sine bello subiugauerunt et ipsos secum in expedicionem duxerunt, filios uero eorum in obsides accipientes ad ducem Arpad cum diuersis muneribus remiserunt, unde dux et sui nobiles leciores facti sunt solito, nuntiis gaudia ferentibus multa dederunt dona.

256. Hongun] *corr. fortasse ex* hongon *C*

34 *De fluuio Gron et castro Borsu.* 262

Interea Zuard et Cadusa filii Hulec nec non Huba et omnis exercitus eorum fluuium Ypul iuxta Danubium transierunt 263
et alio die transito fluuio Gron castra metati sunt in campo iuxta quoddam castellum terreum, quod nuncupatur Varod. Et capto illo castro manserunt ibi tres dies expectantes ad- 264
uentum Borsu filii Bumger, quem dux Arpad cum magno exercitu miserat in auxilium eorum. Quarto die cum Borsu ad eos uenisset cum ualida manu, timuerunt eos omnes incole terre et nullus ausus fuit leuare manus contra eos. Tunc hii 265
IIII-or domini inito inter se consilio per peticionem incolarum sibi fidelium constituerunt, ut tercia pars de exercitu cum incolis terre irent in siluam Zouolon, qui facerent in confinio regni municiones fortes tam de lapidibus quam etiam de lignis, ut ne aliquando Boemy uel Polony possent intrare causa furti et rapine in regnum eorum. Tunc communi con- 266
silio hac de causa missus est Borsu filius Buger cum suis militibus et, cum equitarent iuxta fluuium Gron, ceruus fuga lapsus ante eos cacumina montium ascendit, quem Borsu celerrimo cursu persecutus ictibus sagittarum in uertice montium interfecit. Et tunc Borsu, cum montes illos in circum 267
aspexisset, in memoriam duxit, ut ibi castrum construeret, et statim congregata multitudine ciuium in uertice unius altioris montis castrum fortissimum construxit, cui nomen suum imposuit proprium, ut castrum Borsu nuncupatur. Et inde cum 268
exercitibus suis usque ad siluam Zouolun perrexit et maximam municionem de lapidibus facere precepit, quod nunc castrum Borssod Zouolun uocatur.

35 *De Nitria ciuitate.* 269

Zuardu et Cadusa nec non Huba post discessum Borsu 270
cum omnibus exercitibus suis egressi de castro, quod dicitur Warod, ultra siluam Tursoc castra metati sunt iuxta fluuium Sytua. Altera autem die miserunt quosdam speculatores uiros, 271
quos sciebant esse audaces, qui transirent fluuium Nitra et uiderent, si sine bello possent transmeare usque ad ciuitatem Nytra. Qui cum uelocissimo cursu uenissent usque ad riuulum 272
Turmas, ubi descendit in riuulum Nytre, uiderunt habitatores illius prouincie Sclauos et Boemos eis obsistere cum adiutorio ducis Boemorum, quia mortuo Athila rege terram, que iacet inter Wag et Gron a Danubio usque ad fluuium Moroua, dux Boemorum sibi preocccupauerat et in unum ducatum fecerat et tunc tempore per gratiam ducis Boemorum dux Nitriensis factus erat Zubur.

---

268. Borssod] Borssed *C* — Zouolun uocatur] *corr. ex* Zouolon uocatur *C*

36 *De speculatoribus missis a ducibus.* 273

Cum autem speculatores illi, qui fuerant missi a Zuard 274
et Cadusa, uidissent Sclauos et Boemos eis obsistere non ua-
lentes, miserunt sagittas tribus uicibus super eos et quosdam
ex ipsis ictibus sagittarum interfecerunt. Hoc cum uidissent 275
Sclaui et Boemi, quos ad custodiam constituerat Zubur, quod
isti, qui dicuntur Hetumoger, talibus uterentur armis, timue-
runt ualde, quia talis armatura nunquam uisa fuit eis, statim
nuntiauerunt Zuburio domino eorum ceterisque principibus
eiusdem prouintie.

37 *De pugna ducum Arpadii.* 276

Tunc Zubur hoc audito cum adiutorio Boemorum armata 277
multitudine obuiam eis uenit pugnaturus. Et dum uterque
exercitus ad fluuium Nitra peruenissent, Zuardu Cadusa et
Huba uolebant transire fluuium, sed Zubur dux Nitriensis
et sui milites contra eos diutissime certantes nullo modo eis
transitum concedere uolebant. Et cum diu inter se certassent, 278
Hungarii ex Boemis et Sclauis ictibus sagittarum multos inter-
ficiebant, sed per tres dies nullo modo Hungarii propter inun-
dationem aquarum transitum habuissent, tandem IIII. die
Boemi et omnes Nytrienses Sclaui uidentes audatiam Hunga-
rorum et percussiones sagittarum non sufferentes fuga lapsi
sunt et uelocissimo cursu pro defensione uite in ciuitatem
Nitriam inclusi sunt cum magno timore, quos Zuardu Cadusa
et Huba nec non ceteri milites persequentes eos usque ad ci-
uitatem et ex eis quosdam interfecerunt et quosdam uulnera-
uerunt et alios ceperunt. Zubur uero dux eorum, dum fugi- 279
endo contra eos pugnare uellet, per lanceam Caduse cecidit
et captus in custodiam traditus est, ceteri uero in ciuitatem
inclusi quasi muti remanserunt. Alio namque die Zuard Ca- 280
dusa et Huba armata multitudine exercituum ceperunt forti-
ter expugnare ciuitatem Nitriam multis modis. Et dedit eis
deus uictoriam magnam et pugnantes intrauerunt eam et fusus
est per eos ibi sanguis multorum aduersariorum. Tunc ira- 281
cundia ducti Zuburium ducem illius prouincie, quem nudius
tercius ceperant, supra montem excelsum ducentes laqueo
suspenderunt, unde mons ille a die illo usque nunc mons Zubur
nuncupatur. Et propter hoc factum timuerunt eos omnes ho- 282
mines illius patrie et omnes nobiles filios suos eis in obsides
dederunt et omnes nationes illius terre se subiugauerunt
sibi usque ad fluuium Wag. Et quia gratia dei antecedebat 283
eos, non solummodo ipsos subiugauerunt, uerum etiam omnia
castra eorum ceperunt, quorum nomina hec sunt usque modo:

Stumtey, Colgoucy, Trusun, Blundus et Bana, et ordinatis custodibus castrorum iuerunt usque ad fluuium Moroa et firmatis obstaculis constituerunt terminos regni Hungarorum usque ad Boronam et usque ad Saruuar et adepta uictoria reuersi sunt ad ducem Arpad et omnes infideles illius terre ferreis cathenis ligatos secum duxerunt. Cumque Zuard 284
Cadusa nec non Huba ad ducem Arpad cum omnibus captiuis suis uenissent sani et incolumes, factum est gaudium magnum in curia ducis. Dux Arpad consilio et peticione suorum 285
nobilium donauit accepto iuramento infidelium terras in diuersis locis predictis infidelibus de partibus Nytrie ductis, ut ne aliquando infideliores facti repatriando nocerent sibi fidelibus in confinio Nitrie habitantibus. Et in eodem gaudio 286
dux Arpad Hubam fecit comitem Nitriensem et aliorum castrorum et dedit ei terram propriam iuxta fluuium Sytuua usque ad siluam Tursoc.

38 *De exercitu Grecorum et Bulgarorum.* 287

Interea dux Salanus, dum intellexisset potentiam et facta 288
Hungarorum, timuit, ut ne aliquando iracundia ducti eum expellerent de regno suo. Tunc inito consilio suorum misit 289
legatos suos ad imperatorem Grecorum et ducem Bulgarorum, ut sibi auxilium darent causa pugne contra Arpad ducem Hungarorum. Imperator Grecorum et dux Bulgarorum ma- 290
gnum exercitum Salano duci miserunt. Qui cum ad ducem Salanum peruenissent, in illo loco, qui dicitur Tetel, factum est gaudium magnum in curia ducis. Secundo autem die dux 291
Salanus et sui nobiles inito consilio miserunt legatos ad ducem Arpad dicendo, ut terram eorum dimitteret et ad natale solum repatriare inciperet. Qui cum ad ducem Arpad 292
peruenissent ac mandata Salani ducis ei dixissent, dux Arpad et sui nobiles egre ferentes sic per eosdem legatos duci Salano remandauerunt: Terram, qui inter Danubium et Thy- 293
sciam iacet, et aquam Danubii, que a Ratispona in Greciam descendit, pecunia nostra comparauimus tunc tempore, quando noui fuimus et pro precio ei misimus XII albos equos et cetera, ut supra. Ipse etiam laudans bonitatem terre sue misit 294
unam sarcinam de herbis sabulorum Olpar et duas lagungulas de aquis Danubii, unde precipimus domino uestro duci Salano, ut dimissa nostra terra celerrimo cursu terram Bulgarorum eat, unde preauus suus descenderat mortuo Athila rege atthauo nostro. Si autem hoc non fecerit, sciat nos in 295
proximo tempore contra eum dimicaturos. Legati uero hoc audientes accepta licentia tristi uultu ad ducem Salanum

286. siluam] sil *C*

properauerunt. Dux autem Arpad et sui nobiles egressi de 296
fluuio Zogea cum omni exercitu castra metati sunt iuxta
montem Teteuetlen usque ad Thysciam, deinde uenientes per
crepidinem Thyscie usque ad sabulum Olpar peruenerunt.

39 *De egressu Salani ducis contra Arpadium ducem.* 297

Dux autem Salanus cum adiutorio Grecorum et Bulgaro- 298
rum egressus de Tetel furiata mente per ammonicionem
suorum contra ducem Arpad equitare cepit. Et dum uterque
exercitus ad inuicem prope pernoctassent, neuter eorum dor-
mire per totam noctem ausus fuit, sed equos sellatos in ma-
nibus tenendo pernoctauerunt. Mane autem facto ante auro- 299
ram utraque pars se ad bellum preparauit. Dux uero Arpad,
cuius adiutor erat deus omnium, armis indutus ordinata acie
fusis lacrimis deum orans suos confortans milites dicens:
O Scithici, qui per superbiam Bulgarorum a castro Hungu 300
uocati estis Hungarii, nolite obliuisci propter timorem Gre-
corum gladios uestros et amittatis uestrum bonum nomen.
Unde strennue et fortiter pugnemus contra Grecos et Bulgaros,
qui assimilantur nostris feminis, et sic timeamus multitu-
dinem Grecorum, sicut multitudinem feminarum. Hoc audito 301
milites sui multum sunt confortati statimque Lelu filius
Tosu tuba cecinit et Bulsuu filius Bogat eleuato uexillo in
prima acie contra Grecos pugnaturi uenire ceperunt. Et com- 302
mixta est utraque acies hostium ad bellum et ceperunt pu-
gnare acriter inter se et, dum totus exercitus ducis Arpad
accessisset pugnaturus contra Grecos, plurimi interficieban-
tur de Grecis et Bulgariis. Predictus uero dux Salanus, cum 303
uidisset suos deficere in bello, fuga lapsus est et pro salute
uite Albam Bulgarie properauit. Greci uero et Bulgari timore 304
Hungarorum percussi uiam, quam uenerant, obliuioni tra-
diderunt, fuga lapsi pro salute uite Thysciam pro paruo
fluuio reputantes transnatare uolebant, sed quia talis timor
et terror irruerat super eos, ut propter timorem Hungaro-
rum fere omnes in fluuio Thyscie mortui sunt ita, quod
aliqui uix remanserunt, qui imperatori eorum mala salutis
nuntiarent. Vnde locus ille, ubi Greci mortui fuerunt, a die 305
illo usque nunc portus Grecorum nuncupatur.

40 *De uictoria Arpad ducis.* 306

Dux uero Arpad et sui milites adepta uictoria hinc 307
egressi uenerunt usque ad stagnum, quod dicitur Curtueltou,
et manserunt ibi iuxta siluam Gemelsen XXXIIII-or diebus

297. Arpadium] arpium *C* — 300. Scithici] sithici *C* — 301. Bogat] bogar *C* — 303. uidisset] ci uidisset *C*

et in illo loco dux et sui nobiles ordinauerunt omnes con-
suetudinarias leges regni et omnia iura eius, qualiter seruirent duci et primatibus suis uel qualiter iudicium facerent
pro quolibet crimine commisso. Ibi etiam dux condonauit 308
suis nobilibus secum uenientibus diuersa loca cum omnibus habitatoribus suis et locum illum, ubi hec omnia fuerunt ordinata, Hungarii secundum suum idioma nominauerunt Scerii
eo, quod ibi ordinatum fuit totum negotium regni. Et dux lo- 309
cum illum dedit Oundunec patri Ete a Thyscia usque ad stagnum Botua et a Curtueltou usque ad sabulum Olpar. Postea 310
uero transactis quibusdam temporibus Ethe filius Oundu congregata multitudine Sclauorum fecit inter castrum Olpar et portum Beuldu edificari castrum fortissimum de terra, quod nominauerunt Sclaui secundum ydioma suum Surungrad, id est nigrum castrum.

41 *De egressu Arpad.* 311

Postea uero dux Arpad et sui nobiles hinc egressi uene- 312
runt usque ad Titulum subiugando sibi populum. Deinde egressi uenerunt usque ad portum Zoloncaman et totum populum infra Thysciam et Danubium habitantem sub iugum suum constituerunt. Hinc uero uenientes ad partes 313
Budrug peruenerunt et iuxta fluuium Voyos castra metati sunt et in partibus illis dux dedit terram magnam cum omnibus habitatoribus suis Tosunec patri Lelu cum auunculo suo Culpun patre Botond. Tunc dux Arpad et sui primates 314
inito consilio constituerunt, quod exercitum mitterent propter Salanum ducem ultra Danubium contra Albam Bulgarie, super quem exercitum constituti sunt principes et ductores Lelu filius Tosu, Bulsuu filius Bogat, Botond filius Culpun, qui accepta licentia a duce Arpad equitantes transnauigauerunt Danubium nullo contradicente in illo loco, ubi fluuius Zoua descendit in Danubium, et inde egressi contra Albam Bulgarie ciuitatem equitare ceperunt. Tunc dux Bul- 315
garorum consanguineus Salani ducis cum magno exercitu contra eos pugnaturus cum adiutorio Grecorum accessit. Altera autem die ordinate sunt utreque acies in campo iuxta ripam Danubii. Statim Lelu filius Tosu eleuato uexillo 316
sui signi et Bulsuu filius Bogat tubas bellicas sonando pugnaturi accesserunt. Et commixte sunt per partes manus utriusque hostis et ceperunt pugnare inter se acriter et interfecti sunt de Grecis et Bulgariis plurimi et quidam capti sunt ex eis. Videns ergo dux Bulgarie suos deficere 317
in bello fuga lapsus pro defensione uite Albam ciuitatem ingressus est. Tunc Lelu Bulsuu nec non Botond adepta uic- 318
toria castra metati sunt iuxta Danubium parum inferius

in campo et omnes captiuos Bulgarorum et Grecorum ante se duci fecerunt, quos ferro ligatos duci Arpad in Hungariam remiserunt.

42 *De nuntiis ducis Bulgarie.* 319

Secundo autem die dux Bulgarie misit nuntios suos 320
cum diuersis donis ad Lelu et Bulsuu atque Bontond et deprecans eos, ut paci faueant, et insuper mandauit, quod partem Salani ducis auunculi sui non foueret, sed Arpadio duci Hungarie subiugatus fideliter seruiret et annuale uecti-
gal persolueret. Illi uero paci fauentes proprium filium 321
ducis in pignus accipientes cum multis bonis rebus Bulgarie discesserunt et ducem eorum illesum dimiserunt. Deinde 322
egressi usque ad portam Wazil iuerunt et exhinc egressi terram Racy subiugauerunt et ducem eius captum diu ferro ligatum tenuerunt. Hinc uero egressi usque ad mare per- 323
uenerunt et omnes nationes illius patrie dominatui Arpad ducis Hungarorum potenter et pacifice subiugauerunt et ciuitatem Spaletensem ceperunt et totam Crouatiam sibi subiugauerunt et inde egressi filios nobilium in obsides acceperunt et in Hungariam reuersi sunt ad ducem Arpad. Quorum 324
etiam bella et fortia queque facta sua, si scriptis presentis pagine non uultis, credite garrulis cantibus ioculatorum et falsis fabulis rusticorum, qui fortia facta et bella Hungarorum usque in hodiernum diem obliuioni non tradunt. Sed 325
quidam dicunt eos iuisse usque ad Constantinopolim et portam auream Constantinopolis Botondium cum dolabro suo incidisse. Sed ego, quia in nullo codice hystoriographorum inueni, 326
nisi ex falsis fabulis rusticorum audiui, ideo ad presens opus scribere non proposui.

43 *De castris Zabrag, Posaga et Vlcou.* 327

Bulsuu Lelu et Botond hinc egressi siluam, que dicitur 328
Peturgoz, descendentes iuxta fluuium Culpe castra metati sunt et transito fluuio illo usque ad fluuium Zoua peruenerunt et transito Zoua castrum Zabrag ceperunt et hinc equitantes castrum Posaga et castrum Vlcou ceperunt et hinc egressi Danubium in portu Greci transnauigantes in curiam ducis Arpad peruenerunt. Cumque Lelu Bulsu et Botond 329
ceterique milites sani et incolumes cum magna uictoria in secundo anno ad ducem Arpad reuersi fuissent, factum est gaudium magnum per totam curiam ducis et fecerunt conuiuium magnum et epulabantur cottidie splendide Hungarii una cum diuersis nationibus. Et uicine nationes audientes facinora 330
facta eorum confluebant ad ducem Arpad et pura fide subditi seruiebant ei sub magna cura et plurimi hospites facti sunt domestici.

325. iuisse] iuuisse *C*

44 *De insula Danubii.* 331

Post hec uero egressus dux Arpad de partibus illis, ubi 332
nunc est castrum Budrug, et descendit iuxta Danubium usque
ad insulam magnam. Et castra metati sunt iuxta insulam 333
et dux Arpad suique nobiles intrantes insulam uisa fertili-
tate et ubertate illius loci ac municione aquarum Danubii
dilexerunt locum ultra, quam dici potest, et constituerunt,
ut ducalis esset insula et unusquisque nobilium personarum
suam ibi haberet curiam et uillam. Statim dux Arpad con- 334
ductis artificibus precepit facere egregias domos ducales et
omnes equos suos longitudine dierum fatigatos ibi intro-
ductos pascere precepit et agasonibus suis magistrum prefe-
cit quendam Cumanum uirum prudentissimum nomine Sepel
et propter Sepel magistrum agasonum inibi morantem uocata
est insula illa nomine Sepel usque in hodiernum diem. Dux 335
uero Arpad et sui nobiles permanserunt ibi cum famulis
et famulabus suis pacifice et potenter a mense Aprilis usque
ad mensem Octobris et dimissis ibi uxoribus suis communi
consilio ab insula exeuntes constituerunt, ut ultra Danubium
irent et terram Pannonie subiugarent et contra Carinthinos
bellum promouerent ac in marciam Lombardie se uenire
prepararent et, antequam hoc fieret, mitterent exercitum contra
Glad ducem, qui dominium habebat a fluuio Morus usque
ad castrum Horom, ex cuius etiam progenie longo post tem-
pore descenderat Ohtum, quem Sunad interfecit. Ad hoc 336
autem missi sunt Zuardu et Cadusa atque Boyta, qui, cum
accepta licentia equitarent, Tysciam in Kenesna transnaui-
gauerunt et descensum fecerunt iuxta fluuium Sezturcg. Et 337
nemo aduersarius inuentus est eis, qui leuaret manus contra
eos, quia timor eorum irruerat super omnes homines illius
terre. Exhinc egressi ad partes Beguey peruenerunt et ibi per 338
duas ebdomadas permanserunt, donec omnes habitatores
illius patrie a Morisio usque ad fluuium Temes sibi subiuga-
uerunt et filios eorum in obsides acceperunt. Deinde amoto 339
exercitu uenerunt uersus fluuium Temes et castra metati sunt
iuxta uadum arenarum et, cum uellent transire amnem Temes,
uenit obuiam eis Glad, a cuius progenie Othum descendit,
dux illius patrie cum magno exercitu equitum et peditum
adiutorio Cumanorum et Bulgarorum atque Blacorum. Altera 340
autem die, dum utraque acies interiacente fluuio Temes ad
inuicem nullatenus transire ualuisset, tunc Zuardu iniunxit
fratri suo Caduse, ut cum dimidia parte exercitus sui descen-

333. municione] municionem *C* — 335. permanserunt] permaserunt *C* —
340. ut] ut| ut *C*

deret inferius et, quolibet modo posset transmeare, pugnaret
contra hostes. Statim Cadusa preceptis fratris sui obediens 341
cum medietate exercitus equitans descendit inferius celerrimo
cursu et, sicut diuina gratia erat eis preuia, leuem habuit
transitum. Et dum una pars exercitus Hungarorum cum Ca- 342
dusa ultra esset et dimidia pars cum Zuard citra esset, tunc
Hungarii tubas bellicas sonuerunt et fluuium transnatando
acriter pugnare ceperunt. Et quia deus sua gratia antecede- 343
bat Hungaros, dedit eis uictoriam magnam et inimici eorum
cadebant ante eos, sicut manipuli post messores. Et in eodem 344
bello mortui sunt duo duces Cumanorum et tres kenezy Bul-
garorum et ipse Glad dux eorum fuga lapsus euasit, sed omnis
exercitus eius liquefacti, tamquam cera a facie ignis, in ore
gladii consumpti sunt. Tunc Zuard et Cadusa atque Boyta 345
adepta uictoria hinc egressi uenerunt uersus fines Bulgarorum
et castra metati sunt iuxta fluuium Ponoucea. Dux uero Glad 346
fuga lapsus, ut supra diximus, propter timorem Hungarorum
castrum Keuee ingressus est et tercio die Zuardu et Cadusa
nec non Boyta, a quo genus Brucsa descendit, ordinato exer-
citu contra castrum Keuee pugnare ceperunt. Hoc cum Glad 347
dux eorum uidisset, missis legatis pacem ab eis petere cepit
et castrum sua sponte cum diuersis donis condonauit. Hinc 348
euntes castrum Vrsoua ceperunt et per mensem unum ibi ha-
bitauerunt et Boytam cum tercia parte exercitus ac filiis in-
colarum in obsides positis ad ducem Arpad remiserunt et in-
super legatos suos miserunt, ut eis licentiam daret in Gre-
ciam eundi, ut totam Macedoniam sibi subiugarent a Danubio
usque ad nigrum mare, nam mens Hungarorum tunc tempore
nichil aliud optabat, nisi occupare sibi terras et subiugare
nationes et bellico uti labore. Quia Hungarii tunc tempore 349
ita gaudebant de effusione humani sanguinis sicut sanguissuga
et, nisi ita fecissent, tot bonas terras posteris suis non dimi-
sissent. Quid plura? Boyta et legati eorum ad ducem Arpad
peruenerunt et res gestas sibi narrauerunt. Dux uero opus 350
eorum collaudauit et Zuardu ac Caduse licentiam concessit
liberam in Greciam eundi et terram preoccupandi sibi et
Boyte pro suo fidelissimo seruicio dedit terram magnam
iuxta Thysciam nomine Torhus. Tunc legati Zuard et fratris 351
sui Caduse accepta licentia leti ad dominos suos reuersi sunt.

45 *De ciuibus Bulgarorum et Macedonum.* 352

Transactis quibusdam diebus Zuard et Cadusa cum omni 353
exercitu suo eleuatis uexillis signiferis aquam Danubii trans-
nauigauerunt et castrum Borons ceperunt, deinde ad castrum
Scereducy iuerunt. Audientes hoc ciues Bulgarorum et Mace- 354

340. quolibet] quodlibet *C* — 350. terram magnam] teram magnam *C*

donum timuerunt ualde a facie eorum. Tunc omnes incole
eius terre miserunt nuntios suos cum donariis multis, ut ter-
ram sibi subiugarent et filios suos in obsides traderent.
Zuard et Cadusa paci fauentes et dona et obsides eorum 355
accipientes eos quasi suum proprium populum in pace dimi-
serunt, ipsi uero ceperunt equitare ultra portam Wacil et
castrum Philippi regis ceperunt, deinde totam terram usque
ad Cleopatram ciuitatem sibi subiugauerunt et sub potestate
sua habuerunt totam terram a ciuitate Durasu usque ad ter-
ram Rachy. Et Zuardu in eadem terra duxit sibi uxorem et 356
populus ille, qui nunc dicitur Sobamogera, mortuo duce Zuard
in Grecia remansit et ideo dictus est soba secundum Grecos,
id est stultus populus, quia mortuo domino suo uiam non di-
lexit redire ad patriam suam.

46 *De portu Moger.* 357

Transactis quibusdam diebus dux Arpad et omnes sui 358
primates communi consilio et pari consensu ac libera uolun-
tate egredientes de insula castra metati sunt ultra Surcusar
usque ad fluuium Racus. Et dum uidissent, quod undique 359
tuti essent nec aliquis eis obsistere ualeret, transierunt Danu-
bium et portum, ubi transitum fecerunt, portum Moger nomi-
nauerunt eo, quod VII principales persone, qui Hetumoger
dicti sunt, ibi Danubium transnauigauerunt. Transito Danubio 360
castra metati sunt iuxta Danubium usque ad aquas calidas
superiores. Et hoc audito omnes Romani per terram Pannonie
habitantes uitam fuga seruauerunt. Secundo autem die dux 361
Arpad et omnes sui primates cum omnibus militibus Hunga-
rie intrauerunt in ciuitatem Atthile regis et uiderunt omnia
palacia regalia quedam destructa usque ad fundamentum,
quedam non, et ammirabantur ultra modum omnia illa edificia
lapidea et facti sunt leti ultra, quam dici potest, eo, quod
capere meruerunt sine bello ciuitatem Atthile regis, ex cuius
progenie dux Arpad descenderat, et epulabantur cottidie cum
gaudio magno in palatio Attile regis collateraliter sedendo
et omnes simphonias atque dulces sonos cythararum et fistu-
larum cum omnibus cantibus ioculatorum habebant ante se.
Fercula pocula portabantur duci et nobilibus in uasis aureis, 362
seruientibus et rusticis in uasis argenteis, quia omnia bona
aliorum regnorum circumiacentium dederat deus in manus
eorum, et uiuebant large et splendide cum omnibus hospiti-
bus ad se uenientibus. Et hospitibus secum commorantibus 363
dux Arpad terras et possessiones magnas dabat et hoc audito
multi hospitum confluebant ad eum et ouanter morabantur
cum eo. Tunc dux Arpad et sui propter leticiam permanserunt 364
in ciuitate Atthile regis per XX-ti dies et omnes milites Hun-

garie ante presentiam ducis fere cottidie super dextrarios suos sedendo cum clipeis et lanceis maximum turnamentum faciebant et alii iuuenes more paganismo cum arcubus et sagittis ludebant, unde dux Arpad ualde letus factus est et omnibus militibus suis diuersa donaria tam in auro quam in argento cum ceteris possessionibus donauit et in eodem loco Cundunec patri Curzan terram dedit a ciuitate Atthile regis usque ad centum montes et usque ad Gyoyg et filio suo dedit unum castrum ad custodiam populi sui. Tunc Curzan castrum illud 365
sub suo proprio nomine iussit appellari, quod nomen usque in hodiernum diem non est obliuioni traditum.

47 *De terra Pannonie.* 366

Dux uero Arpad XXI-o die inito consilio egressus est de 367
Ecilburgu, ut subiugaret sibi terram Pannonie usque ad fluuium Droua, et prima die castra metatus est iuxta Danubium uersus centum montes. Tunc ordinatum est, quod dux de 368
exercitu suo unam partem mitteret iuxta Danubium uersus castrum Borona, cui prefecit principes et ductores duos de principalibus personis, scilicet Ete pater Eudu et Boyta, a quo genus Brugsa descendit, quibus etiam pro suo fidelissimo obsequio dux Arpad donauit munera non minima et Eudunec filio Ete dedit terram iuxta Danubium cum populo non numerato. Et in illo loco Eudu subiugato populo illius partis edifi- 369
cauit castrum, quod nominauit uulgariter Zecuseu eo, quod sibi sedem et stabilitatem constituit. Et Boyte eodem modo dedit terram magnam uersus Sara cum populo non numerato, que usque modo nuncupatur Boyta.

48 *De ciuitate Bezprem.* 370

In secunda parte exercitus missus est Vsubu pater Zolocu 371
et Eusee, qui iret uersus ciuitatem Bezprem et subiugaret omnes habitatores terre usque ad castrum ferreum. Tunc Vsubu princeps et ductor illius exercitus licentiatus a duce eleuato uexillo egressus est et castra metatus est iuxta montem Pacoztu. Hinc uero equitantes in campo Peytu castra me- 372
tati sunt et per tres dies ibi permanserunt, quarto autem usque ad castrum Bezprem peruenerunt. Tunc Vsubu et Eusee ordinato exercitu contra Romanos milites, qui castrum Bezprem custodiebant, pugnare acriter ceperunt. Et pugnatum 373
est inter eos per ebdomadam unam. In secunda autem ebdomada feria IIII-ta dum utraque pars exercitus labore belli nimis esset fatigata, tunc Vsubu et Eusee plures milites Romanorum in ore gladii consumpserunt et quosdam ictibus

364. faciebant] feciebant, *corr. ex* fecerant *C* — 371. Eusee] cusee *C*

sagittarum interfecerunt. Reliqui uero Romanorum uidentes 374
audaciam Hungarorum dimisso castro Bezprem fuga lapsi
sunt et pro remedio uite in terram Theotonicorum properauerunt, quos Vsubuu et Eusee usque ad confinium Theotonicorum persecuti sunt. Quadam autem die, dum Hungarii et 375
Romanii in confinio essent, Romani fugiendo latenter fluuium, qui est in confinio Pannonie et Theotonicorum, transnatauerunt, unde fluuius ille ab Hungaris uocatus Loponsu eo, quod Romani propter metum Hungarorum latenter transnatauerunt.

49 *De castro ferreo.* 376

Et exhinc Vsubuu pater Zoloucu et Eusee pater Vrcun 377
reversi castrum ferreum ceperunt et filios incolarum in obsides acceperunt. Hinc vero equitantes iuxta fluuium Bolotun usque ad Thyon peruenerunt et subiugatis sibi gentibus X-o IIII-o die castrum Bezprem intrauerunt. Tunc Vsubuu 378
et Eusee inito consilio nuntios suos cum diuersis muneribus et filiis incolarum in obsides positis duci Arpad transmiserunt et qualiter dedit eis deus uictoriam et quomodo Romani dimisso castro Bezprem ante eos fuga lapsi fluuium Loponsu latenter transnatauerunt. Missi uero eorum ducem 379
Arpad in silua Turobag arpalice ambulantem inuenerunt et eum cum diuersis ex parte Vsubuu et Eusee salutauerunt et filios incolarum in obsides positos duci presentauerunt. Dux uero 380
Arpad audito hoc lecior factus est solito et iterum in Ecilburgu reuersus magnum fecit conuiuium et legatis gaudia nuntiantibus munera magna condonauit.

50 *De deuastatione Pannonie.* 381

Tunc dux Arpad et sui nobiles cum tercia parte exercitus sui de Ecilburgu egressi castra metati sunt iuxta campum 382
putei salsi et inde equitantes usque ad montem Bodoctu peruenerunt. Dux uero Arpad ab orientali parte dedit Eleudunec patri Zobolsu siluam magnam, que nunc Vertus uocatur propter clipeos Theotonicorum inibi dimissos. Ad radi- 383
cem cuius silue iuxta stagnum Ferteu Sac nepos Zobolsu longo post tempore castrum construxit. Quid ultra? Dux autem Arpad et sui milites sic eundo iuxta montem sancti Martini castra metati sunt et de fonte Sabarie tam ipsi quam eorum animalia biberunt et montem ascendentes et uisa pulchritudine terre Pannonie nimis leti facti sunt. Et inde egressi usque ad 384
Rabam et Rabuceam uenerunt, Sclauorum et Pannoniorum gentes et regna uastauerunt et eorum regiones occupauerunt. Sed 385

380. Ecilburgu] etiburgu *C* — 382. Ecilburgu] elciburgu *C* — Zobolsu] zolsu *C* — 383. et sui] et sui *C* — pulchritudine] pulchritune *C*

et Carinthinorum Moroanensium fines crebris incursibus irripuerunt, quorum multa milia hominum in ore gladii occiderunt, presidia subuerterunt et regiones eorum possiderunt et usque in hodiernum diem adiuuante domino potenter et pacifice posteritas eorum detinet. Tunc Vsubuu et Eusee 386
pater Vrcun cum omni exercitu eorum sani et incolumes cum magna uictoria reuersi sunt ad ducem Arpad. Deus enim, cuius misericordia preuia erat, tradidit duci Arpad et suis militibus inimicos eorum et per manus suas labores populorum possederunt. Vbi cum radicati fuissent et fere omnia 387
uiciniora regna sibi subiugassent, reuersi sunt iuxta Danubium uersus siluam causa uenationis et dimissis militibus ad sua propria dux et sui nobiles manserunt in eadem silua per X dies et inde uenerunt in ciuitatem Atthile regis et ad insulam Sepel descenderunt, ubi ducissa et alie mulieres nobilium fuerunt.

Et eodem anno dux Arpad genuit filium nomine Zulta et 388
factum est gaudium magnum inter Hungaros et dux et sui nobiles per plurimos dies faciebant conuiuia magna, iuuenesque eorum ludebant ante faciem ducis et suorum nobilium, sicut agni ouium ante arietes. Transactis autem quibusdam 389
diebus dux Arpad et sui nobiles communi consilio miserunt exercitum contra Menumorout ducem Byhoriensem, cui exercitui principes et ductores facti sunt Vsubuu et Velec. Qui 390
egressi sunt de insula equitantes per sabulum et fluuium Thyscie in portu Beuldu transnauigauerunt et inde equitantes iuxta fluuium Couroug castra metati sunt et omnes Siculi, qui primo erant populi Atthyle regis, audita fama Vsubuu obuiam pacifici uenerunt et sua sponte filios suos cum diuersis muneribus in obsides dederunt et ante exercitum Vsubuu in prima acie contra Menumorout pugnaturi ceperunt et statim filios Siculorum duci Arpad transmiserunt et ipsi precedentibus Siclis una contra Menumorout equitare ceperunt, fluuium Cris in Ceruino monte transnatauerunt et inde equitantes iuxta fluuium Tekereu castra metati sunt.

51 *De duce Menumorout.* 391

Hoc cum audiuisset Menumorout, quod Vsubuu et Velec 392
nobilissimi milites ducis Arpad cum ualida manu precedentibus Siclis contra eum uenirent, timuit ultra, quam debuit et contra eos ausus uenire non fuit eo, quod audiuerat ducem Arpadium et suos milites ualidiores esse in bello et Romanos fugatos esse de Pannonia per ipsos et Carinthinorum Moroa-

387. subiugassent] subiugassent *C* — 389. Byhoriensem] byhoriensen *C* — 390. acie] acie *C* — et ipsi] et ipsi *C* — 392. Moroanensium] moroanensium *C*

nensium fines deuastasse et multa milia hominum occidisse
in ore gladii eorum regnumque Pannoniorum occupasse et
inimicos eorum ante faciem eorum fugisse. Tunc dux Menu- 393
morout dimissa multitudine militum in castro Byhor ipse
cum uxore et filia sua fugiens a facie eorum in nemoribus
Ygfon habitare cepit. Vsubuu et Veluc omnisque exercitus
eorum leti contra castrum Byhor equitare ceperunt et castra
metati sunt iuxta fluuium Iouzos. Tercio autem die ordinatis 394
exercitibus ad castrum Belland egressi sunt et e conuerso
milites congregati ex diuersis nationibus contra Vsubuu et
suos milites pugnare ceperunt. Sycli et Hungarii ictibus sa-
gittarum multos hominum interfecerunt. Vsubuu et Velec per 395
balistas CXXV milites occiderunt. Et pugnatum est inter
eos XII dies et de militibus Vsubuu XX Hungarii et XV
Sicli interfecti sunt. Terciodecimo autem die cum Hungarii et 396
Sycli fossata castri impleuissent et scalas ad murum ponere
uellent, milites ducis Menumorout uidentes audatiam Hunga-
rorum ceperunt rogare hos duos principes exercitus et aperto
castro nudis pedibus supplicantes ante faciem Vsubuu et
Velec uenerunt, quibus Vsubuu et Velec custodiam ponentes
ipsi in castrum Byhor intrauerunt et multa bona illorum mi-
litum inibi inuenerunt. Hoc cum Menumorout per nuntios 397
fuga lapsos audiuisset, irruit in maximum timorem et misit
nuntios suos cum diuersis muneribus ad Vsubuu et Velec
et rogauit eos, ut ipsi paci fauentes legatos suos ad ducem
Arpad eundi dimitterent, qui nuntiarent ei, quod Menu-
morout, qui duci Arpad primo per legatos proprios Bul-
garico corde superbe mandando terram cum pugillo se datu-
rum negabat, modo per eosdem nuntios uictus et prostratus
totum regnum et Zulte filio Arpad filiam suam dare non du-
bitaret. Tunc Vsubuu et Velec consilium eius laudauerunt 398
et cum legatis suis nuntios miserunt, qui dominum suum du-
cem Arpadium causa pacis rogarent. Qui cum insulam Sepel
intrauissent et ducem Arpad salutassent, secunda die legati
mandata Menumorout dixerunt. Dux uero Arpad inito consilio 399
suorum nobilium mandata Menumorout dilexit et laudauit et,
dum filiam Menumorout eiusdem etatis, ut filius suus Zultus,
iam esse audiuisset, peticionem Menumorout differre noluit
et filiam suam in uxorem Zulte accepit cum regno sibi pro-
misso et missis legatis ad Vsubu et Veluc mandauit, ut cele-
bratis nuptiis filiam Menumorout filio suo Zulte in uxorem
acciperent et filios incolarum in obsides positos secum du-
cerent et duci Menumorout daret Byhor castrum.

---

393. facie] facie *C* — 394. Belland] n *in corr. certo legi nequit C* — Hungarii] hugarii *C* — 397. fuga] faga *C* — muneribus] muneribus *C* — fauentes] fauentes ut ipsi *C*

52 *De Vsubuu Veluc.* 400

Vsubuu et Veluc nec non omnis exercitus preceptis do- 401
mini sui fauentes filiam Menumorout celebratis nuptiis acce-
perunt et filios incolarum in obsides positos secum duxerunt
et ipsum Menumorout in castro Byhor dimiserunt. Tunc 402
Vsubuu et Veluc cum magno honore et gaudio ad ducem Ar-
pad reuersi sunt, dux uero et sui yobagyones obuiam eis pro-
cesserunt et filiam Menumorout, sicut decet sponsam tanti
ducis, honorifice ad ducalem domum duxerunt. Dux uero Ar- 403
pad et omnes sui primates celebrantes nuptias magna fece-
runt conuiuia et fere cottidie comedebant nuptialiter cum
diuersis militibus circumiacentium regnorum et iuuenes eorum
ludebant ante faciem ducis et suorum nobilium. Dux Arpad 404
accepto iuramento primatum et militum Hungarie filium suum
Zultam ducem cum magno honore eleuari fecit. Tunc dux 405
Vsubunec patri Zoloucu pro suo fidelissimo seruicio dedit
castrum Bezprem cum omnibus appendiciis suis et Veluquio
dedit comitatum de Zarand et sic ceteris nobilibus honores
et loca condonauit. Menumorout post istam causam in se- 406
cundo anno sine filio mortuus est et regnum eius totaliter
Zulte generi suo dimisit in pace. Post hec anno dominice in- 407
carnationis DCCCCVII. dux Arpad migrauit de hoc seculo,
qui honorifice sepultus est supra caput unius parui fluminis,
qui descendit per alueum lapideum in ciuitatem Atthile regis,
ubi etiam post conuersionem Hungarorum edificata est eccle-
sia, que uocatur Alba, sub honore beate Marie uirginis.

53 *De successione Zulte ducis.* 408

Et successit ei filius suus Zulta similis patri moribus, 409
dissimilis natura. Fuit enim dux Zulta parum blesus et candi-
dus, capillo molli et flauo, statura mediocri, dux bellicosus,
animo fortis, sed in ciuibus clemens, uoce suaui, sed cupidus
imperii, quem omnes primates et milites Hungarie miro
modo diligebant. Transactis quibusdam temporibus dux Zulta 410
cum esset XIII-cim annorum, omnes primates regni sui com-
muni consilio et pari uoluntate quosdam rectores regni sub-
duce prefecerunt, qui moderamine iuris consuetudinis dissiden-
tium lites contentionesque sopirent. Alios autem constituerunt 411
ductores exercitus, cum quibus diuersa regna uastarent, quo-
rum nomina hec fuerunt: Lelu filius Tosu, Bulsuu uir sangui-
nis filius Bogat, Bonton filius Culpun. Erant enim isti uiri 412
bellicosi et fortes in animo, quorum cura nulla fuit alia, nisi
domino suo subiugare gentes et deuastare regna aliorum.

403. militibus] milibus *C* — 405. omnibus] ominibus *C*

Qui accepta licentia a duce Zulta cum exercitu Caranthino 413
decreuerunt et per forum Iulii in marchiam Lombardie uenerunt, ubi ciuitatem Paduam cedibus et incendiis et gladio et rapinis magnis crudeliter deuastauerunt. Exhinc intrantes 414
Lombardiam multa mala facere ceperunt. Quorum uiolentie ac belluyno furori cum terre incole in unum augmen conglebate resistere conarentur, tunc innumerabilis multitudo Lombardorum per Hungaros ictibus sagittarum periit quam plurimis episcopis et comitibus trucidatis. Tunc Lutuardus epi- 415
scopus Vercelensis ecclesie uir nominatissimus Caroli minoris quondam imperatoris familiarissimus amicus ac fidelissimus consiliarius a secreto hoc audito assumptis secum opibus atque incomparabilibus thesauris, quibus ultra, quam estimari potest, habundabat, cum omnibus uotis effugere laboraret eorum cruentam ferocitatem, tunc inscius super Hungaros incidit et mox ab eis captus interficitur et thesaurum existimationem humanam transcendentem, quem secum ferebat, rapuerunt. Eodemque tempore Stephanus frater Waldonis comitis, cum 416
in secessu residens super murum castri in nocturnis horis aluum purgare uellet, tunc a quodam Hungaro per fenestram cubiculi sui sagitte ictu grauiter uulneratur, de quo uulnere eadem nocte extinguitur.

54 *De deuastatione Lotorigie Alemannie et Francie.* 417

Deinde Lotorigiam et Alemanniam deuastauerunt, Francos 418
quoque orientales in confinio Franconie et Bauarie multis milibus eorum cesis ictibus sagittarum in turpem fugam conuerterunt et omnia bona eorum accipientes ad ducem Zultam in Hungariam reuersi sunt.

55 *De morte Lelu et Bulsuu.* 419

Postea uero anno V. regnante Cuonrado imperatore Lelu 420
Bulsu Botond incliti quondam et gloriosissimi milites Zulte ducis Hungarie missi a domino suo partes Alemannie irrupuerunt et multa bona eorum acceperunt. Sed tandem Baua- 421
rorum et Alemannorum nefandis fraudibus Lelu et Bulsuu capti sunt et iuxta fluuium Hin in patibulo, suspensi occiduntur. Botondu et alii Hungarorum milites, qui ex eis residui fuerant, uidentes se malo dolo inimicorum coarctatos audaucter et uiriliter steterunt. Et ab inuicem non sunt alienati, sed alter 422
alteram partem mansuram in periculum precipue sumpserunt adiuuare et uulneratorum more leonum in media arma fremebundi ruentes in hostes suos grauissima cede prostrauerunt.

---

416. horis] *om. C* — **420. Cuonrado]** cunrado; *super* u *scriptum* o *C* — **422. mansuram]** mensuram *C*

Et quamuis erant uicti, tamen uictores suos forcius et uictorio-
sius uicerunt et grauissima cede prostrauerunt. Felix igitur 423
Hungarorum embola multa periculorum experientia iam secu-
rior et exercitatior de ipsa continua exercitatione preliorum
uiribus et potestate prestantior totam Bauariam et Alemanniam
ac Saxoniam et regnum Lathariense igne et gladio consumpserunt
et Erchangerum atque Bertoldum duces eorum decollauerunt.
Hinc uero egressi Franciam et Galliam expugnauerunt et, dum 424
inde uictores reuerterentur, ex insidiis Saxonum magna strage
perierunt. Qui autem ex ipsis euaserunt, ad propria redierunt. 425
Sed de morte Lelu et Bulsuu aliorumque suorum militum
dux Zulta et sui primates non modicum sunt conturbati et
inimici Theotonicorum sunt facti. Tunc dux Zulta et sui mili- 426
tes propter illatam iniuriam inimicorum contra eos inspirare
ceperunt et, quolibet modo possent, eis uicem reddere non
tacerent. Sed diuina gratia adiuuante dux Zulta anno dominice 427
incarnationis DCCCCXXXI. genuit filium, quem nominauit
Tocsun, pulchris oculis et magnis, capilli nigri et molles,
comam habebat, ut leo, ut in sequentibus audietis.

56 *De inimicis Athonis regis.* 428

Eodem anno inimici Athonis regis Theotonicorum in ne- 429
cem eius detestabili facinore machinabantur. Qui cum per se
nichil mali ei facere potuissent, auxilium Hungarorum rogare
ceperunt, quia sciebant, quod Hungarii essent insuperabiles
in assuetis bellorum laboribus et plurimis regnis deus per
eos furoris sui flagella propinasset. Tunc illi inimici Athonis 430
regis Teothonicorum miserunt nuncios suos ad Zultam ducem
uirum bellicosum et rogauit eum dato auro multo, ut adiutorio
Hungaro predictum regem Athonem inuaderent. Dux uero 431
Zulta iracundia ductus tam pro eorum pace et precio quam
etiam pro morte Lelu et Bulsuu gemebundo pectore misit
exercitum magnum contra Athonem regem Teothonicorum.
Quibus principes et ductores fecit Botundium filium Culpun 432
et Zobolsum filium Eleud nec non Ircundium filium Eusee.
Qui cum egressi essent a duce Zulta, rursum Bauariam Ale- 433
manniam et Saxoniam atque Turingiam in gladio percusserunt
et exinde egressi in quadragesima transierunt Renum fluuium
et regnum Latariense in arcu et sagittis exterminauerunt.
Vniuersam quoque Galliam attrociter affligentes ecclesias 434
dei crudeliter intrantes spoliauerunt. Inde per abrupta Seno-
nensium per populos Aliminos ferro sibi uiam et gladio appe-
ruerunt. Superatis ergo illis bellicosissimis gentibus et natu-

423. Erchangerum] Erchargenum *C* — 426. uicem] uincere *C* — 433. Latariense] latariensem *C*

rali situ locorum tutissimis montes Senonum transcenderunt
et Segusam ceperunt ciuitatem. Deinde egressi Taurinam 435
ciuitatem opulentissimam expugnauerunt et, postquam planam
regionem Lambardie aspexerunt, totam pene Italiam bonis
omnibus affluentem et exuberantem conscitatis cursibus spolia-
uerunt. Deinde uero Botond filius Culpun et Vrcun filius 436
Eusee superatis omnibus gentibus prememoratis felici uictoria
fruentes ad propria regna reuertuntur. Tunc Hoto rex Teotho- 437
nicorum posuit insidias iuxta Renum fluuium et cum omni
robore regni sui eos inuadens multos ex eis interfecit. Botond 438
et Vrcun ac reliqui exercitum magis uolentes mori in bello
quam apropriatam sibi uictoriam amitterent, tunc hostibus
pertinaciter insistunt et in eodem bello quendam magnum
ducem uirum nominatissimum interficiunt et alios grauiter
uulneratos in fugam conuertunt, quorum spolia diripiunt et
exinde ad propria redeunt regna cum magna uictoria. Et cum 439
Bothond et Vrcun in terram Pannonie leti reuerterentur, tunc
Bothond longo labore belli fatigatus miro modo infirmari
cepit, ex luce migrauit et sepultus est prope fluuium Vereucea.
Sed istud notum sit omnibus scire uolentibus, quod milites 440
Hungarorum hec et alia huiusmodi bella usque ad tempora
Tucsun ducis gesserunt.

57 *De constitucione regni.* 441

Dux uero Zulta post reuersionem militum suorum fixit 442
metas regni Hungarie ex parte Grecorum usque ad portam
Wacil et usque ad terram Racy. Ab occidente usque ad mare, 443
ubi est Spaletina ciuitas, et ex parte Theotonicorum usque ad
pontem Guncil et in eisdem partibus dedit castrum construere
Ruthenis, qui cum Almo duce auo suo in Pannoniam uenerant,
et in eodem confinio ultra lutum Musun collocauit etiam Bisse-
nos non paucos habitare pro defensione regni sui, ut ne
aliquando in posterum furibundi Theotonici propter iniuriam
sibi illatam fines Hungarorum deuastare possent. Ex parte 444
uero Boemorum fixit metas usque ad fluuium Moroa sub tali
condicione, ut dux eorum annuatim tributa persolueret duci
Hungarie, et eodem modo ex parte Polonorum usque ad
montem Turtur, sicut primo fecerat regni metam Borsu filius
Bunger. Et dum dux Zulta et sui milites ita radicati essent 445
undique in Hungaria, tunc dux Zulta duxit filio Tocsun uxorem
de terra Cumanorum et ipso uiuente accepit iuramenta suo-
rum nobilium et filium suum Tocsun fecit ducem ac dominato-
rem super totum regnum Hungarie. Et ipse dux Zulta III-o anno 446

435. expugnauerunt] *corr. ex* ceperunt *C* — 445. undique in Hungaria] unque hungarii *C*

regni filii sui de ergastulo corporis uiam uniuerse carnis
egressus est. Thocsun uero dux cum omnibus primatibus
Hungarie potenter et pacifice per omnes dies uite sue obtinuit
omnia iura regni sui et audita pietate ipsius multi hospites
confluebant ad eum ex diuersis nationibus. Nam de terra 447
Bular uenerunt quidam nobilissimi domini cum magna multi-
tudine Hismahelitarum, quorum nomina fuerunt Billa et Bocsu,
quibus dux per diuersa loca Hungarorum condonauit terras et
insuper castrum, quod dicitur Pest, in perpetuum concessit. Bylla 448
uero et frater eius Bocsu, a quorum progenie Ethey descendit,
inito consilio de populo secum ducto duas partes ad seruicium
predicti castri concesserunt, terciam uero partem suis posteris
dimiserunt. Et eodem tempore de eadem regione uenit quidam 449
nobilissimus miles nomine Heten, cui etiam dux terras et
alias possessiones non modicas condonauit. Dux uero Thoc-
sun genuit filium nomine Geysam quintum ducem Hungarie.
Et in eodem tempore de terra Byssenorum uenit quidam 450
miles de ducali progenie, cuius nomen fuit Thonuzoba pater
Vrcund, a quo descendit genus Thomoy, cui dux Thocsun
dedit terram habitandi in partibus Kemey usque ad Tysciam,
ubi nunc est portus Obad. Sed iste Thonuzoba uixit usque 451
ad tempora sancti regis Stephani nepotis ducis Tocsun. Et 452
dum beatus rex Stephanus uerba uite predicaret et Hungaros
baptizaret, tunc Thonuzoba in fide uanus noluit esse Christia-
nus, sed cum uxore uiuus ad portum Obad est sepultus, ut ne
baptizando ipse et uxor sua uiuerent cum Christo in eternum,
sed Vrcun filius suus Christianus factus uiuit cum Christo in
perpetuum.

452. uiuus] *corr. ex* uiuos *C*

ANNOTATIONES CRITICAE.

1. Hungarorum] Hungarum Cf_1 — 2. P.] Pr(a)edictus *scf* — sue] sanae *s* — effectum] affectum *scm*, effectum *corr. ex* affectum *C* — 4. vocatur] vocatus *e* — 5. etenim] etiam *sc*, enim *em* — et tue] tu(a)e *sce*, et *posterius inscr. C* — mihi] me *sce* — 6. igitur] ergo *sc* — sim] sum *c* — estimans] estimaui *m* — 8. Et si] si *e* — 9. an non] a me *sc*, a modo *em*, ammodo *f*, *corr. posterius ex* amo C^1, an non *commendat Juhász*[2] — percipiat] recipiat *c* — 10. igitur] ergo *sc* — enim] etiam *sc* — euum] (a)eternum *em* — 13. igitur] ergo *sc* — cuius] eius *s* — 14. terra] *om. c* — 17. uulgariter] *om. e* — 18. sunt antiquiores] antiquiores sunt *s* — 20. super] supra *scem* — dicitur nunc] nunc dicitur *e* — Ecilburgu] Ecilburgum *m* — 22. Scithica] Scithici *e*, *corr. posterius ex* scithici *C* — gens] gentes *e* — fuisset] fuissent *Cscemf*, fuisset *commendat Juhász*[3] — sapientissima et mansueta] sapientissimi et mansueti *em*, *corr. posterius ex* sapientissimi et mansueti C^3 — 23. filtro] filamento *sce* — pigmenta] iumenta sce^3 — enim] etiam *sc* — 24. multa] *om. e* — enim] etiam *sc* — 25. cognoscetis] agnoscetis *m* — 27. occiderunt] *corr. posterius ex* exciderunt *C* — 28. namque] enim *em* —

---

[1] V. in reproductione nostra codicis (1*v*) infer. versum 4.

[2] Lectionem nos secundum Daretem Phrygium commendamus: ex Corn. Nepotis dedicatione ad Sall. Crispum: »... Optimum ergo duxi, ut, ita ut fuit vere et simpliciter perscripta (sc. historia), sic eam in Latinitatem transverterem, ut legentes cognoscere possent, quomodo hae res gestae essent: utrum magis vera esse existiment, quae Dares Phrygius memoriae commendavit, qui per id tempus vixit et militavit, quo Graeci Troianos oppugnarent, *anne* (sic cod. Sangallensis, edd.: an, minime) Homero credendum, qui post multos annos natus est, quam hoc bellum gestum fuisset... « (Daretis Phrygii De excidio Troiae historia. [Andreas Dederich.] Bonnae, 1835.)

[3] In Exordia Scythica sic: »fuisset gens sapiens et mansueta... pigmenta multa« (Mon. Germ. Scr. Chron. min. Auct. tom. XI. pag. 319. cap. 26.).

32. torrida zona] zona torrida *e* — nec alere] non alere *sc* — 34. hii] hee *Cm*, hae *sce*, hee *f* — 40. post] prius *em* — Eunedubeliani] eunedubeliani *Cm* — 41. asturis] austuris *e* — 42. pronosticatus] pronosticatum *Cf*, prognosticatus *sce* — 45. gaudium magnum] magnum gaudium *sce*, *corr. ex* magnum gaudium *C* — 46. uero] *om. m* — Scithie] Scithice *Cf* — 47. uelut] tunc *scem* — 54. uero] universo *commendat Engel*[4] — 55. eius generatione] generatione eius *e* — descenderent] descenderant c_2e — 56. sequemur] sequimur *s* — 61. Vt] *om. m* — 64. iuramenti statuta] iuramenti statura *Cm*, iuramentum statura *s*, iuramentum, statuta *c* — 68. DCCCLXXXVIIII] DCCCLXXXIIII. *Cscemf*, DCCCLXXXVIIII. *commendat Pauler*[5] — Scithica] Scithia *Cmf* — 71. gentibus] generibus *e*, *corr. posterius ex* generibus *C* — 74. Deneper] Denep *sc* — 75. audiuerant] audiuerunt *m* — 76. Kyeu] Hyeu Cmf_1 — 78. Edum] Edumen *e* — Ketel] Retel *sc* — 80. suum] *om. m* — 81. uestrarum] nostrarum *sc* — quando] quoniam *sc* — quereretis] qu(a)eretis *e* — 82. uertuntur] convertuntur *e* — 85. milibus] mil(l)ibus hominum *em*, milibus γ *C* — occiderunt] exciderunt *scem*, exciderunt *corr. posterius in* exocciderunt *pro* occiderunt *C* — Aut nonne magnum] Nonne magnum c_2 — 88. properantes] properanter *sc* — 89. uero] *om. ce* — 94. domini—expellerentur] dominum—expellerent *sc* — in] *om. m* — tributumque] tributum *e* — 95. descenderent] descenderet *m* — 101. Susudal] Sudal *Cscmf*, Susdal *e* — de sedibus] sedibus *m* — 102. Ketel] Retel *sc* — Oluptulma] Oluptulm(a)e *e* — 103. ac] et *em* — 104. modo] etiam *sc* — se constrinxerunt] constrinxerunt *sc* — 106. etiam] et *em* — 107. Lodomer] Lodomeria *scem* — 112. hospicio] hospitem *e*, *corr. posterius ex* hospicium *C* — etiam omnibus] omnibus etiam *m* — 113. Howos] Hovoos *e*, houos *m* — 114. principes] principis s_{23} — ubi] vero *sc* — 115. Keanus] Reanus *sc* — 116. qui dicuntur Cozar] Cozar qui dicuntur *sc*, *corr. ex* cozar qui dicuntur *C* — 117. Morus] Mors *Cf* — Vrsua] Urscia *Cscemf*, Vrsua *commendat Moór*[6] — nomine] *om. sc* — Glad] Gaad *sc*, *corr. ex* gaad *C* — 118. Ohtum] Othum s_1 — sicut] sic *scem* — 121. cum eis] *om. e*, *posterius inscr. C* — 122. sagittatorum] sagittariorum *sc* — precepit] precipit e_2 — Hung] Hungariae *sc* — 123. qui] qu(a)e *sce*, que *m*, *corr. posterius ex* que *C* — 124. perue-

[4] Danielis Cornides Vindiciae Anonymi Belae regis Notarii. Editae, auctae a I. Christiano Engel, Budae, 1802., pag. 371.

[5] A magyar honfoglalás kútfői. (Redegerunt I. Pauler et A. Szilágyi.) Budapest, 1900., pag. 401., et quidem secundum Reginonem (Pertz: Mon. Germ. Hist., Scr. I., pag. 599., vers. 28.-et sqq.)

[6] E. Moór: Szláv eredetű emelkedésnevek alföldi hely- és dülőnevekben. (In ephemeride, quae dicitur Magyar Nyelvőr, 1932., pag. 38.)

nerant] pervenerunt c_2 — 125. se Almo duci] Almo duci se *sce* — 127. irruerat] irruit *e* — eis] ei s_3 — Keanus] Reanus *sc* — preauus] proavus *scem* — conducti] conductu Cf_1 — 129. Tunc] Dunc *Cm* — id] eum *Cscm,* illud *e* — 132. et accepto—suorum] *om. e* — Hunguarie—Hunguari] Hungariae—Hungari *c* — 134. DCCC-o XC-o III-o] DCCCC-o III-o *Cscemf,* DCCC-o XC-o III-o *commendat Pauler*[7] — 136. legatis suis] legatis c_2e — facere ausi] ausi facere *scm. corr. ex* ausi facere *C* — 137. ad ducem] a ducem *m* — 138. autem] *om. m* — 139. preauus] proavus *scem* — Thysciam] inter Thisciam *(Endlicher ante verbum* Thysciam *verbum* inter *deletum esse credidit; nos* ty *deletum invenimus) e* — Souiou] Louiou *Cf,* louyou *m* — possim] possem *e* — id est] et *scem* — 141. modo] etiam *sc* — ducisse] ducissa *sc* — et duodecim pelles—zobolos] *om. e* — 142. Ketel] Retel *sc* — Oluptulmae] Oluptulmac *sc,* Oluptulma *e* — tercium] iterum *scem* — 143. Camaro] Camero c_2, *corr. ex* camero *C* — 144. Ketel] Retel *sc* — manans] manens s_{234} — a Saturholmu] Asaturholmu *Csc* — 145. Ketel] Retel *(bis) sc* — Ketelpotaca] Retelpotaca *sc* — 146. Ketel] Retel *sc* — a Saturholmu] Asaturholmu *Csc,* a satorholmu *m* — Ketel] Retel *(bis) sc* — 147. Ketel] Retel *sc* — Ketelpotaca] Retelpotaca *sc* — 148. Ketel] Retel *sc* — canbiuit] canbium Cf_1, cambiavit *sce* — regibus erat] erat regibus *e* — propius] proprius *C,* propior *e* — esset] essent *e, corr. ex* essent *C* — ulturus] ulterius $Cscemf_1$ — sanguinem] sanguis *sc* — 150. Ketel] Retel *sc* — quasi] qui *sc* — 151. montis] *om. e* — 152. perspicientes] prospicientes *scem* — 154. Ketel] Retel *sc* — Opar] Olpar *e* — 155. ditauit] dotavit *e* — 156., 157. Ketel] Retel *sc* — 156. dux] *om. m* — 160. dilexerunt] dilexerit *sc,* dilexerint *em* — 163. Budrug] Brudrug *m, corr. ex* Brudrug *C* — 165., 167. Turtur] Tatur *scem* — 170. consilio nobilium suorum] suorum consilio nobilium *sc,* suorum nobilium consilio *em, corr. ex* suorum consilio nobilum *C* — 178. nec propter amorem] *om.* s_{234} — caperet] capere Cs_1c — 179. potest] poterit *e* — 180. properauerunt] properarunt *m* — 186. timor] *om. Cmf* — audiuerant] audiuerunt *scem* — Arpadii] Arpadi *e* — genere] geonere Cf_1 — 187. de] a *Cf* — 188. suis] ceteris *e* — 195. per peticionem] per peticionemne Cf_1, pro petitione *sc* — 196. Post] Postea *e* — 197. teterrima] deterrima *em* — 204. fuisset] esset *em* — 205. inebriebantur] inebriabantur *scem* — 206. metati sunt] metati *e* — 208. tunc—terre] *om. m* — 213. et fertilitatem] *om. e* — 216. colligerent] colligeretur *sc* — 219. eundi] *om. m* — 221. ultrasilua-

[7] V. comment. 5. pag. 411. et quidem secundum Albricum (Pertz: Mon. Germ. Hist., Scr. XXIII., pag. 748., vers. 17., edidit P. Scheffer-Boichorst).

nus] ultrasiluanis Cf_1 — 225. pariter] *om. m* — pugnam] pugnandum *scem* — 227. dextram] dexteram $s_{123}cem$ — die illo] die c_2e — 229. Biie] Bue Csc_1emf, Buc c_2, Biie *commendat Juhász* — contraria] contrarie *m* — 231. manus] manum *em* — 232. lutum] locum *sce* — 233. venerunt] *om.* c_2e — 234. diem unum] unum diem *e* — 237. Tosu] Tuso *Cmf* — 239. eis] ei *e* — 241. Zobolsu] Bulsuu *Csc* — pro] prae *sc* — 246. illo] *om. e* — 247. que] qui *sc* — 250. Ystoros] Ustoros $s_{234}c$ — 252. Edumenec] Edumernec *sce* — 256. Paztuh] Pazthu s_{234} — Hongun] Hongu *sc* — transierunt] transiverunt *em* — 258. crepitudinem] crepidinem $s_{234}c_2e$ — Wereuecca] Wereuecea *e*, Wereuuecca *m* — 263. quoddam] quodam s_{34} — 264. manus] manum *m* — 267. in circum] circum *m* — nuncupatur] nuncupetur s_{234} — 268. perrexit] porrexit *f* — Borssod] Borssed Csc_1mf — 272. in unum] unum c_2em — erat] est *e* — 275. Boemi] Boemii c_2e — 280. deus] dominus *scem* — 282. eos] eum *m* — eis in obsides] in obsides eis *scem, corr. ex* in obsides eis *C* — 283. Stumtey] Stumrey *sc* — Colgoucy] Golgoucy *c* — Moroa] Morova *sce* — 292. ac] ad c_1, et c_2em — eosdem] eos *m* — 293. Danubii] Danubi *e* — Ratispona] Ratisbona s_{234} — 294. preauus] proavus *scem* — 297. Arpadium] Arpium *Cf* — 298. egressus] eggressus *m* — 299. deus] dominus *(bis) scem* — 301. Bogat] Bogar *Cscmf* — 302. accessisset] accessissent e_2 — 303. cum] dum *e* — uidisset] ci uidisset Cf_1 — 308. Hungarii] Hungari *e* — 309. Oundunec] Cundunec *e* — 314. filius Tosu—Botond] *om.* c_2 — Bogat] Bogar s_{234} — illo] *om. em* — 315. sunt utreque] *om.* s_{234} — utreque] utraque *e* — 316. Bogat] Bogar s_{234} — 318. in Hungariam remiserunt] remiserunt in Hungariam *sce, corr. posterius ex* remiserunt in hungariam *C* — 323. nationes] *om.* c_2em — 324. et falsis—rusticorum] *om. m* — 327. Zabrag] Zabrach s_{234} — 328. peruenerunt—Zoua] *om.* s_{234} — Vlcou] Ulcau s_{234} — 329. Hungarii] Hunguarii s_4 — 333. municione] municionem *Cscemf*, municione *commendat Juhász* — 334. prudentissimum] prudentem *e* — et propter] eo propter e_2 — 335. Aprilis—Octobris] Aprili—Octobrem s_{234} — descenderat] descendit *e* — 336. Kenesna] Renesna *sc* — 338. Exhinc] Et hinc *em* — 339. Othum] Ohtum c_2e — 340. ut] ut ut Cf_1 — quolibet] quodlibet *Cmf* — 343. deus] dominus *scem* — 344. omnis] omnes *em* — 345. Ponoucea] Ponucea *em* — 348. et per—habitauerunt et] et e_1, *om.* e_2 — 349. sanguissuga] sanguisuga *sce* — 351. sui] sue *e* — 356. stultus populus] stultus *e* — 363. ouanter] ovantes *scem* — 364. sedendo] sedentes *scem* — turnamentum] tornamentum sc_1e, ornamentum c_2 — militibus] *om.* s_{234} — Cundunec] Cadunec *sc* — Gyoyg] Gyog *e* — 365. in] *om. e* — 368. quod dux de] ut dux cum *m* — 369. sibi] ibi *e* — 371. Eusee] Cusee *Cmf* — 372. campo] castro *sc* — 375. Hungarii]

Hungari *m* — Romanii] Romani *scem* — uocatus] vocatur s_{234} — 377. Et exhinc] Exhinc *m* — 380. Ecilburgu] etiburgu *Cf*, eclburgu *m* — 382. Ecilburgu] Elciburgu *Cmf* — Zobolsu] Zolsu *Cscmf* — Vertus] Vetrus *sc*, uertus *m* — 383. Sac] Saac *e* — 385. irripuerunt] diripuerunt *sce* — possiderunt] possederunt *scem* — et usque] ut usque s_{234} — 387. in ciuitatem] ad ciuitatem *m* — 389. consilio] consensu *e* — 390. pugnaturi] pugnare *e*, pugnaturi progredi *commendat Florianus*[8] — Ceruino] Cerumo *sc* — 392. Hoc] Haec s_{234} — audiuisset] audisset *m* — faciem eorum] faciem c_2em — 393. Iouzos] Iouxas *scem* — 394. Belland] Bellarad $scef_2$, Bellarid *m* — et e] sicut e *sce* — hominum] homines *sce* — 396. Terciodecimo] Tertio *e* — autem die] die autem *sc*, *corr. ex* die autem *C* — hos] post e_2 — inibi] ibi *m* — 397. fuga] faga Cf_1 — fauentes] faventes ut ipsi *Cf* — 400. Vsubuu] Usubuu et *scem* — 403. militibus] milibus *Cscemf*, militibus *commendat Engel*[9] — 406. istam] illam *e* — generi] genero *sce* — 407. sepultus est] sepultus *m* — alueum] alvum *em* — 413. Caranthino] in Carinthiam ire *e* — Lombardie] lombardia *m* — 414. augmen] agmen *sce*[10] — conglebate] conglebati *e*, conglobate *m*[10] — 415. consiliarius] *om.* c_2em — existimationem] (a)estimationem *em* — 416. horis] *om.* *Cscemf*, horis *commendat Juhász*[11] — 418. multis—cesis] *om.* c_2e — 420. Cuonrado] Cunrado *sc*[12] — Botond] et Botond *e* — Hungarie] Hungarorum *e* — irrupuerunt] irruperunt *sce* — 421. fuerant] fuerunt *m* — coarctatos] coartatos *sce* — audaucter] audacter *scem* — 422. mansuram] mensuram $Cemf_1$, mensurando *sc* — in periculum] periculum *sc*, in periculo *e* — in hostes] hostes *sce* — Et quamuis—prostrauerunt] *om.* *sc* — 423. Erchangerum] Erchargenum *Cscf*, erchangenum *m*, *apud Reginonem* Erchangerum[13] — Bertoldum] Bertuldum *s*, Bertualdum *c*, Bertaldum *e*, *corr. ex* Bertuldum *C*[13] — 426. inspirare] conspirare *sc* — uicem] uincere Cmf_1, vices *sc* — 429. ei facere] facere ei *e* — 430. rogauit] rogaverunt *sce* — 432. Culpun] Cuulpun s_{34} — 433. Latariense] Latariensem *Cmf* — 434. Ali-

---

[8] Hist. Hung. Font. Dom. II., pag. 43.

[9] V. comment. 4. pag. 371.

[10] Apud Reginonem (v. comment. 5., pag. 609., vers. 30.) agmen conglobati.

[11] Secundum Reginonem (v. comment 5., pag. 609. vers. 38.).

[12] Apud continuatorem Reginonis (v. comment. 5., pag. 614., vers. 9.) Chuonradus.

[13] Apud continuatorem Reginonis (v. comment. 5., pag. 615., vers. 2.): Erchanger (var. lect.: otthager, freckanger, ercanger) et Berachtold (var. lect.: bertholdus, bertoltus).

minos] *fortasse legend.* Alemannos *Engel*[14] — 435. conscitatis] concitatis *scem* — 438. exercitum] exercitus *scem* — graviter] *om.* c_2e — 439. Vereucea] Wereucea *e* — 440. alia] *om.* *m* — 442. Wacil] Wazil *scem* — 443. deuastare] invadere *e* — 444. Moroa] Morova *e* — modo] anno *m* — Turtur] Tatur *scem* — 445. undique in Hungaria] unque Hungarii Cmf_1, *om.* *sc*, undequaque Hungarii *e*, undique Hungarii f_2, universique Hungarii *vel* unitique Hungarii *vel* undiquaque in Hungaria *commendat Engel*[15] — iuramenta] iuramento *m* — 446. filii sui] sui filii *sc* — ipsius] sua *e*, *corr. ex* sua *C* — 448. populo] populo suo *m* — 450. Thonuzoba] Thomizoba *sc* — Kemey] Remey *sc* — 451., 452. Thonuzoba] Thomizoba *sc* — uiuus] Vivuros *sc*, Viuvs f_2.

[14] V. comment. 4., pag. 371*b*.
[15] V. comment. 4., pag. 371*b*.

I. INDEX VERBORUM.

Numeri currentes et parentheses »[ ]« ad Annotationes Criticas, quae infra textum collocatae sunt, attinent. — Numeri post duo puncta (:) significant, quotiens in eadem sententia idem verbum appareat.

a [asaturholmu], [de] 3:2, 4, 8, 14, 19:2, 20-1, 26, 32, 34, 36, 52, 62, 65:4, 71, 102, 116, 130, 136, *144*, 145, *146*, 147, 151, 153, 156, 160:2, 166, 170-1, 177, 182:2, 183, 185-6, [187], 188, 199, 206:2, 216, 220, 227-8, 231, 247, 249-50, 251:2, 256:2, 261, 272-4, 281, 293, 300, 305, 309:2, 314, 335:2, 338-9, 344, 346, 348, 354-5, 364, 368, 371, 393, 413, 415-6, 420, 433, 448, 450.

ab 13, 16, 41, 116, 132, 139, 170, 179, 210, 241-3, 335, 347, 375, 382, 415, 422, 443.

abrupta 434.

absque 30.

ac 2, 14, 31, 54-6, 96, 103, 108, 123, 132, 154, 157, 239, 260, 292, 333, 335, 348, 350, 358, 414-5, 423, 438, 445.

acceperunt (accepit, accepta, acceptis, accepto, accipere, acciperent, accipiebant, accipientes) 197, 323, 338, 377, 401, 420.

accepit (acceperunt) 399, 445.

accepta (acceperunt) 153, 156, 166, 244, 256, 295, 314, 336, 351, 413.

acceptis (acceperunt) 167, 194.

accepto (acceperunt) 132, 170, 285, 404.

accesserunt (accessisset, accessit) 316.

accessisset (accesserunt) 302.

accessit (accesserunt) 315.

accipere (acceperunt) 150.

acciperent (acceperunt) 399.

accipiebant (acceperunt) 214.

accipientes (acceperunt) 91, 261, 321, 355, 418.

acie (acies, [acie]) 80, 299, 301, *390*.

acie [acie] [390].

acies (acie) 87, 225, 302, 315, 340.

acquiescentes 121.

acquirere (acquireret, aquirebant, aquirere, aquisito, aquisiuerunt, aquisiuit) 61.

acquireret (acquirere) 210.

acriter 87, 225, 302, 316, 342, 372.

acta 136.

ad [sad] 13, 25, 28, 31, 34, 38, 47-8, 52, 55, 58, 71, 74:2, 88, 92, 94, 101, 103, 108-10, 112, 114-5, 116:2, 117, 122:2, 124:2, 126, 127-2, 129-30, 132, 134, 136, 137:2, 139:2, 141, 146, 147:2, 148:2, 153, 156-7, 160, 161:2, 163, 165, 167, 170:3, 180, 185, 188, 190-1, 193, 196-7, 199-200, 201:2, *206*, 210-1, 215, 218, 221-2, 225-6, 228, 231:2, 232-4, 236-8, 241:2, 242-4, 246:2, 247, 249-50:2, 251:4, 254, 257:3, 261, 264, 268, 271, 272:2, 275, 277-8, 282, 283:4, 284, 286, 289-90, 291:2, 292, 295, 296:2, 298-9, 302, 307,

309:2, 312:2, 313, 320, 322, 323:2, 325-6, 328-30, 332, 335:2, 336, 338:2, 340, 348:2, 349, 351, 353, 355:2, 356, 358, 360-3, 364:3, 367, 371-2, 374, 377, 382-4, 386, 387:2, 394, 396, 397:2, 399, 402:2, 418, 425, 430, 436, 438, 440, 442-4:2, 446, 448, 450-2.
adepta (adepti) 91, 231, 283, 307, 318, 345.
adepti (adepta) 196.
adherentes 106.
adhuc 25.
adiutor 80, 299.
adiutorio (adiutorium) 79, 117, 136, 272, 277, 298, 315, 339-40.
adiutorium (adiutorio) 77.
adiuuante (adiuuantibus, adiuuare) 162, 385, 427.
adiuuantibus (adiuuante) 145.
adiuuare (adiuuante) 422.
admirabantur v. ammirabantur
admodum 32.
admonitione v. ammonicione
adnuntiantibus (annuntiantibus) 204.
adoptabant 124.
aduentum 125, 148, 221, 264.
aduersario (aduersariorum, aduersarius) 183.
aduersariorum (aduersario) 280.
aduersarius (aduersario) 337.
adulabantur 127.
affectum [effectum] [2].
affligentes 434.
affluentem 435.
agasonibus (agasonum) 334.
agasonum (agasonibus) 334.
aggressus 6.
agmen v. augmen
agni 388.
agnominatus 40.
agnoscere 7.
albos 141, 293.
alcioris (altioris) 150.
aldamas (aldumas) 152.
aldumas (aldamas) 204.
alere 32, 51.
alia (aliarum, alias, alie, alii, aliis, alio, aliorum, alios, aliud) 94, 101, 110, 216, 412, 440.
aliarum (alia) 23, 64.
alias (alia) 449.
alie (alia) 387.
aliena 24.
alienati 422.
alienigenarum 4, 132.
alii (alia) 93, 96, 108, 172, 364, 421.
aliis (alia) 5, 122.
alio (alia) 263, 280.
aliorum (alia) 286, 362, 412, 425.
alios (alia) 278, 411, 438.
aliqua (aliquem, aliqui, aliquid, aliquis) 74.
aliquando 65, 285, 288, 443.
aliquem (aliqua) 136, 139.
aliqui (aliqua) 304.
aliquid (aliqua) 184.
aliquis (aliqua) 359.
aliud (alia) 348.
alter (altera, alteram) 142, 422.
altera (alter) 192, 228, 271, 315, 340.
alteram (alter) 224, 422.
altioris (alcioris) 267.
alueum 407.
aluum 416.
amabilem 160.
ambulans (ambulantem) 213.
ambulantem (ambulans) 379.
amen 11.
amicas (amico, amicos, amicus) 116.
